ARISTOTELIS

ETHICORVM SIVE DE MORIBVS AD NICOMACHVM

filium libri decem, nuper quidem à

IOACHIMO PERIONIO
Cormœriaceno Latinitate donati, nunc verò denuò ab eodem recogniti.

HIS ADIECIMVS

Eorundem Aristotelis de Moribus librorum Epitomen, HERMOLAO BARBARO *Patricio Veneto autore: vnà cum locuplete rerum & verborum Indice.*



LVGDVNI,
Apud Guliel. Rouillium ſub ſcuto Veneto.

M. D. LVI.

2 F. Pelle
14
1
23

REVERENDO IN CHRISTO PATRI D. FRANCISCO BOHERO EPISCOPO MACLOVIENSI, IOACHIMVS PERIONIVS CORMOERIACENVS, S. P. D.

SAEPENVMERO MIRARI *soleo, Pontifex sapientissime, quid sit quòd libri scripti à Græcis de iis rebus quæ Grammaticorum & Rhetorum artibus continentur, à nostris hominibus, qui nostra patrumq; memoria in laude Græcarum literarum excelluerunt, commodè conuersi adhuc sint: Philosophia, quæ vitæ dux, virtutis indagatrix, expultrix vitiorum, morumq; magistra & disciplina rectè appellata est à Cicerone, quaq; nullum maius neque melius hominum generi Dei concessu datum munus est, tam inculto, & vt verè dicã, sordido sermone tractata sit, vt ferè neglecta sine vllo splendore & lumine literarum Latinarum iacere videatur. Nam à Laurentio Valla Thucydidis ac Herodoti, à Pogio Florentino Diodori Siculi, à Politiano Herodiani historia sic expressa est Latinis literis vt splẽdidam eorum illustremq; animaduertamus orationẽ. At verò in libris Aristotelis, qui vnus ex omnibus consensu ferè bonorum omnium proximè ad institutum nostræ religionis accessit, ob eamq; causam pro-*

batur omnibus, tanta repentè sententiarum ac rerum obscuritas nobis legentibus occurrit, tanta etiã verborum insolentia & ariditas, vt pueri vix primis literis eruditi aptius & loquantur & scribant. Quæ rerum obscuritas & confusio tãta, innumerabiles non solùm à philosophiæ studio abduxit semper, verùm etiam inimicos ei reddidit. Ac mihi quidẽ huius rei causam diu multumq; requirenti, non alia occurrit, quàm quod videntur ij qui eloquentia valebãt, cùm à philosophia ea, quam dixi, rerum obscuritate deterrerẽtur, in illis maluisse artibus, quantum interpretando possent experiri, in quibus quoniam peruulgatæ essent, amplior ornamentis orationis esset futurus locus. Illi autem qui etsi Latinè scirent, tamen interpretari aliena sensa disertè non possent, cùm totos se ad philosophiæ studium contulissent, qui eò lucem, quam habebant, afferre non potuerunt, tenebras maximas attulisse. In quo neutrorum equidem contemnere consilium & factum possum, præsertim cùm liberum sit eum studiorum cursum, quem quisq; velit, tenere: in eoq; excolendo, quantum cuiq; videatur temporis consumere. Nisi fortè illos reprehendendos putamus, quòd philosophia deserta & neglecta, idem fecisse videntur, quod ij solent, qui terra, quæ bene culta fructus vberrimos ferat, relicta, mandare semen iis agris malunt, qui pereque fructuosi esse non possunt: hos verò, quod similiter fecerũt, vt si qui agrum suapte natura fertilem non probis instrumentis colentes, spinosum redderent. Quid enim philosophia vel vberius ad fructum, vel iucundius ad oblectationẽ, vel melius ad vitam, vel aptius ad dignitatẽ? Cæteræ verò artes quid habẽt simile? quæ huius administræ vt sunt, sic verè & iure dici solent. Quo maiore quadam ratio-

ne, Pontifex, non iam vt initio feci miror, sed vehementer etiam doleo, eam artem à nemine adhuc illustratam esse Latinis literis, qua reliquæ artes, omnesq; bona res continentur. Hinc meus ille ex philosophiæ amore & natus & susceptus dolor, me noctes diesq; agitans, non antè passus est conquiescere, quàm ad hanc partem ægram, quam cæteri negligerent, accederem, efficeremq; quantum consequi labore & diligentia possem, vt philosophia iterum Latinè loqueretur. Audax negotium, impudens etiam, inuidiaq; plenum. Sed nemo inuidiæ metu à rectè factis, quibus præsertim communis omnium vtilitas, tantæ etiã rei dignitas continetur, abduci deterreriq; debet. Quanquam mihi ipse tãtum neq; sumo, neq; arrogo. Quicquid enim feci quod aliqua laude sit dignum, si modo est, id velim Ciceroni tribui, non mihi. Nihil est enim tam deforme, quàm si quod ab altero vel didiceris, vel acceperis, eius laudem & gloriam præripias illi, tibi assumas. Id autem quale sit vt intelligatur, tibi rationem studiorum meorum breuiter aperiendam putaui. Ego cum ineunte adolescentia me ad Ciceronis imitationem contulissem, eumq; semper cum Græcis Latina coniunxisse animaduerterem, ex quo tãtum se fructum studiorum cepisse sentiret, vt idem filio faciundam censeret: quod ille filio consilium dedisset, mihi quoq; ac omnibus qui studiosis discendi adiumentũ aliquod ad discendũ afferre vellent, datũ cẽsui. Itaq; quũ paucis annis post studio Græcarũ literarũ me penitus dedidissem, illud eius consilium sequutus sum: id q; nõ in philosophia solum, sed in cæteris etiam disciplinis feci. Hinc mirificos fructus studiorum consequebar. Coniungendis enim his studiis, non modo id assequebar, vt Græca melius intelligerẽ, sed vt quæ Latina Græcis respõ-

derent, notarem, ac disertius de Græcis Latina conuerterem. Iam verò & innumerabiles locos Græcorum, vt Platonis, vt Aristotelis, Demosthenis, Æschinis, aliorumq; nonnullorum & in philosophia, & in arte dicendi non tractatos solùm, sed etiam conuersos de Græcis à Cicerone obseruaui, & librum totum de Vniuersitate ex Timæo Platonis translatum, cum Græco nostris commentariis eò adiecimus, vt studiosi Græcarum literarũ eum sibi tanquam exemplar conuertendis è Græco libris proponant ad imitandũ. Has ergo Latini sermonis diuitias & opes si vel celarem, vel mihi vendicarem, quis me iure non reprehenderet? An non necesse esset me alterutrum crimen subire: vel inuidiæ si occultarem: vel ingrati animi si vendicarem? Non est igitur iã quod inuidiæ metu de studiosis discẽdi bene mereri prætermittam, iis præsertim rebus, quas Ciceroni tribuam, mihi non vendicem. Quinetiam omnes mihi potius gratiam habituros spero, quòd laudem alteri debitam reseruans, vtilitatem ad se volui peruenire. Sed cùm multos multorum libros ab initio studiorum conuertissem, ab eo potissimum initium edendi sumpsi, qui ei studiorum generi quod delegi, visus est aptissimus. Libri decẽ sunt Aristotelis ad filiũ scripti de Moribus, qui grauissimis ad bene beateq; viuẽdum sententijs referti, eò gratiores ad omnes venient, quòd lumina illa quæ in iis quos cæteri transtulerunt, minus apparebant, in his nostris se omni ex parte ostendunt. In quibus conuertendis non semper, id quod & fieri non potest, & Cicero ait facere indisertos interpretes, verbum ex verbo exprimẽdũ putaui. Nec verò in eo solùm laboraui vt Latina, verùm vt apta etiã & numerosa esset oratio. Quòd si nõnullis locis aliquorũ aures nimiũ capaces offendẽtu r

ÿ cogitare debebunt, aliud esse animi sui cogitationes eloqui, aliud aliena sensa interpretari: quod cùm fecerint, eos fortè habebo æquiores iudices: quanquam multis locis de industria lumen quod potui, non attuli: idq; eò feci libentius, quòd omnium rerum sua initia esse debent, quæ suis progressionibus vsa, augeri constituiq; possint, Atq; id totũ quale sit (ne de me dicere videar) cum alij pleriq;, tum verò tu pro ea doctrina & sapiẽtia qua vales plurimum, iudicare poteris. Hunc autem laborem sic à me deberi tuis immortalibus in me meritis putaui, vt eum alteri te præterito sine scelere nõ potuerim dedicare. Ecquãdo enim partem vllam tuorũ erga me beneficiorum consequar? aut vbi vsus erit mei tibi, si in ea facultate non fuerit, quã tua tuiq; auunculi D. Dionysij Briconeti clarissimi optimiq; viri benignitate sum consequutus? Quapropter hoc tam debitum officium vt tibi gratum sit, eiusq; patrocinium suscipias, etiam atq; etiam rogo. Sic enim summa tua autoritate fretus, facilè omnium & odium vitare potero, & inuidiam sustinere.

Vale Antistes amplissime. Lutetiæ Parisiorum, pridie Non. Maias.

M. D. XL.

ARGVMENTVM IOACHIMI PERIONII, QVO *horum decem librorum cùm senten tia, tum ordo, quem seruat Aristoteles, breuiter explicatur.*

PHILOSOPHIA IN TRES PARTES *omnis distributa est, in differendi rationē, quæ* λογικὴ *à Græcis appellatur: in naturæ obscuritatem, quæ* φυσικὴ: *in vitā & mores, quæ* ἠθικὴ, *id est, moralis dicitur. hæc pars tertia in tres etiam alias diuisa est:* ἠθικὴν, πολιτικὴν, *&* οἰκονομικὴν. *quarum prima vniuersam bene viuēdi rationem continet: altera eam quàm sibi proposuerunt ij, qui in Reip. luce versantur: tertia, quàm sibi quisq; priuatim intuēdā re familiari domi cum vxore ac liberis constituit. Nisi fortè has duas postremas huius, quam tertiam diximus, partes malumus dicere. Hanc tertiā Aristoteles his decem libris tractat: quos quoniam in Latinum de Græcis conuertimus, breuiter & quid iis tradat, & quem seruet ordinem, docebimus. Quoniam igitur bene beateq; viuendi viam & rationem tradere his libris instituit, quam beatā vitam, seu beatitudinē seu felicitatem, seu summum hominis bonum appellat, ab ea capit disputādi exordiū, vt intelligatur, quod in omni disputatione faciundum est, quid sit id de quo disputetur. In quo docendi rationem sequitur eam, quā in præceptis reliquit. Primùm enim an sit summum bonū inuestigat, deinde quid sit, postremò, quale sit. Esse autē summum bonum, ex vi & natura finis, omniumq; qui*

qui finem sibi aliquem proponunt consilio & ratione, concludit. Deinde quam vim habeat ad bene viuẽdum explicat, cuiq; scientiæ sit propositum. Tum in hac tradenda arte & alijs omnibus, quam & ipse & alij viam sequi debeant, quemq; animum eos ad hanc percipiendam scientiam afferre deceat qui in ea versari velint, exponit. Quid autem sit summum bonũ, vt exquirat, primùm repetit id quod iam inuenerat, esse summũ bonum. Deinde omnium qui ante ipsum ratione quadam hunc locum attigerant, enumerat sententias: quòd sua confirmare non potuisset, nisi alienis, quatenus falsæ erant & obstabant, refutatis. Itaque & eorũ qui illud in voluptate, & eorum qui in diuitijs, & eorum qui in honore, & eorum qui in virtute, explodit eijcitq; sententias. Postremò ne magistro quidem Platoni, in Idea esse concessit. His illorum explosis sententiis, illud quid sit, ex artificum finibus, iisq; omnibus quæ in eo debent esse, exquirit. Tum ad rem propius accedens, quoniam illud & finem esse, & in actione esse oportere iam concluserat, ex officio hominis indagat. Idq; eò facit, quòd finis cuiusque, in cuiusque officio & munere ponatur. Quoniam igitur officium hominis inuenit, viuere ex virtute, seu actionem virtutis, summum etiam hominis bonum in eadem ponit: sed quam vitam intelligeret, quamq; virtutem, explicauit. Nam & in virtute omnium perfectissima, & in vita completa & confecta summum bonum locat. Tum sententiam suam, ne quis eam reijceret, à sententiis omnium docet non abhorrere, qui rectè de beatitudine sensissent. In quo explicando tacitè has duas quæstiones explicat: In quibus bonis summum bonum hominis numerandum sit, & num corporis externisq; bonis beata vita sit opus. Nam

diuisione adhibita bonorum, alia animi, alia corporis, alia fortunæ esse: & animi bona cæteris longè præstare, & in iis esse summum bonum docet: ita tamen, vt illa etiam requirat. Interim quale sit summum bonum, quæ tertia est quæstio, exponit. Nam & optimum quiddam esse, & pulcherrimum, & suauissimum, quæ tria sic con iuncta in eo sint, vt nulla ratione possint distrahi. Et quoniam à nonnullis putari dixerat, summũ bonũ idē esse quod secunda fortuna, causam efficientē eius exquirit deinceps. Fortunæ tribuendam negat, sed Deo potius: sin minus, certè exercitationi. Cumq́; beatitudinē in vita perfecta statuisset, & Priamũ cæterosq́; omnes qui similes casus in vita sensissent, deinceps negat beatos esse ducendos, & contra Solonis sententiã, aliquem ducendũ dum viuat, beatũ ostendit. In quã explicanda quæstione, quoniam de beatis qui è vita excessissent, fecerat mentionem, & de mortuis amicis ac propinquis eorum beatorum qui in vita manerent: deinceps quatenus aduersæ res beati, & aduersæ res posterorum vel labefactent, vel non labefactent beatã vitam exponit. Quæ duo nata sunt ex ea, quã summo bono constituerat, definitione. Nam vita completa & absoluta, in qua beatam vitam posuerat, omnes res aduersas, ex quibus miseri nominãtur, videtur excludere. Tũ facta alia diuisione bonorum, alia laude digna, alia gloriatione, alia non esse illa quidem bona, sed esse posse, in iis quæ honorabilia sunt, summum bonum ostendit esse ducēdum, quæ ad qualitatem omnis pertinet quæstio. His ita constitutis, deinceps eam quam summo bono fabricatus est, exponit definitionē. Cum enim summum bonum in actione virtuti consentanea posuisset, illud intellexit, nisi virtutis natura explicaretur, non

posse intelligi, quid vellet. Deinceps igitur virtus quid sit, ad septimum vsque librum docet. In quo id seruat, quod in omni re tradenda faciũdũ est. Quæ latè patent & communia sunt, partitur: vt cum eam virtutis partem quam exquirit, inuenerit ad eam & definiendam & tractandam, omnem accommodet orationem. Quærit animi virtutem, corporis igitur virtutem separat. Non omnem autem animi virtutem sibi proponit, sed eam tantummodo, quæ hominis est propria. Excludit ergo omnes eas quæ nobis cum beluis inuenit esse communes. Et quia nos beluis sola ratione præstamus, animi partes quæ rationis sunt participes, notat & obseruat, quòd solæ virtutes quæ ab iis proficiscuntur, hominis sint propriæ. Partes autem duas tales inuenit, vnam quæ per se, & in se ratione vtitur: alteram, quæ non per se, verùm quatenus illi alteri paret. Hinc duo genera nascuntur virtutum: alterum mẽti attribuit, alterum appetitui. Primũ genus tractat secundo, tertio, quarto, & quinto libro: alterũ sexto. Illud superius sic tractat vt primùm ea omnia quæ cõmunia sunt omniũ virtutum persequatur, deinde ea quæ propria sunt singularum. Quærit igitur primùm quid sit virtus hominis propria, quoniam quin sit, non est dubium: deinde qualis sit. Est enim hæc in omni re, vt dixi, tradẽda, tenẽda via & ratio. Quid sit virtus, primũ ex eius causa efficiente exquirit. Sunt enim actiones, quemadmodum ostẽdit. Ita virtutes nõ sunt nobis tributæ à natura. Ac mihi quidem hoc videtur tanquã huius artis initium ponere: Omnes habitus & ex sui similibus actionibus gigni, & ab iisdem interire. Deinceps hãc partẽ philosophiæ in actione versari ponit, & omniũ virtutũ actiones conuenienter rationi fieri oportere, easdem nimium

& parum tollere, conseruare, augere ac tueri mediocritatem. Praeponit illud etiam, habitus quales sint, ex voluptate & dolore qui actionem consequitur, intelligendũ esse. Docet deinceps ex eo virtutẽ moralẽ in doloribus voluptatibusq; versari: tũ quaestionem ex eo quod praeposuerat ortã, explicat: quo loco quid inter artes & virtutes intersit, aperiẽs, illa tria ponit ad virtutis actionem necessaria, vt sciens, & consultò, & stabili animo omnis agat, qui virtutem & officium sequatur. His ita põsitis, quid virtus sit docet, cum habitum esse concludit: tum qualis sit habitus, cum mediocritatis virtutem esse indagatricẽ, cuiusq; mediocritatis, exponit. At ne quis putaret, quoniam virtutem posuerat in perturbationibus modum exquirere, omnibus perturbationibus & actionibus modum apponi posse, quasdam perturbationes & actiones, quae nomine ipso vitiosa sunt, separat. Tum quò facilius intelligi possit quod dixit, inter nimium & parum virtutem modum indagare, singulae virtutes inter quod nimium & parum sitae sint, docet, eo ordine vnamquanque cum extremis vitiosis enumerãs, quẽ postea tradendis illis extremo, tertio, quarto, quintoq; seruabit. Itaque haec omnis descriptio nõ aliud est, quam eorum omnium quae libris quos dixi tradet, propositio & enumeratio. Deinceps media cum extremis cõfert, vt quemadmodum inter se affecta sint virtus & vitia intelligatur. Contraria illa sunt inter se omnia, sed extrema magis inter se pugnant quàm vtrunque virtuti: & illud vitiũ virtuti magis contrarium est, ad quod simus natura procliuiores. Deinceps virtutis adipiscẽdae auget difficultatem, ex eo quod inter duo vitia eam locasset. At ne quis se ad eam peruenire posse diffideret, mox quasi peritus & nobilis medicus, remedium adhibet

bet

bet. In tertio, qualis virtus esse debeat, exponit: primùm, quæ voluntate & cõtra voluntatẽ suscipiãtur & fiant, docet: deinde quid sit electio, seu propositũ: quod quia inuenit proficisci à consilio & deliberatione, de quibus deliberandum sit explicat. Et quia voluntatem finis esse dixerat, deinceps quis sit finis voluntati propositus, tradit. His præpositis, virtutem moralem volũtariam esse, & vitium voluntarium, actionesq; voluntarias esse demonstrat. Deinceps à toto genere virtutũ ad singulas conuertit orationem. Qui sanè locus perfacilis est, vt non magnopere egeat nostris commentationibus: Singulis enim tradendis virtutibus hoc ferè docet, quibus in rebus quæq; versetur: si in duabus, in vtra potius: si in plurib. in qua potissimum. Ex his quid sit quæq; virtus colligit, adiectis circunstantiis. Veluti fortitudo, quoniam in rebus formidolosis, & iis quæ animis nostris fiduciam præbent, cernitur, quæ erit in vtris potius. Eadem est ratio temperantiæ. Nam cùm in voluptatibus & doloribus eam cerni dicat, in voluptatibus potius versari concludit. Itemq; liberalitas in dãdi accipiendiq; rationibus, sed in largiendo potius cernitur. Si multa sint genera, traduntur, vt fortitudinis, & iustitiæ. Virtutum etiam, & eorũ qui iis sunt præditi, officia & munera exquiruntur. Eadem est ratio vitiorum, nisi quòd vtrum virtuti magis repugnet, exponit. In sexto libro eundem seruat quem in superiorib. ordinem. Duo genera virtutum earum quæ in ratione sitæ sunt, ex duobus earum subiectis concludit. Quinq; autem virtutes esse ex earum munere communi, & quid quæq; sit, ex rebus iis in quibus versentur, colligit. Quæ iis quinq; attributa sint, quid similitudinis, quid dissimilitudinis inter se habeant, docet. Postremò, quæ cum

prude

prudentia coniũcta sint, vt recta deliberatio, sagacitas, & sententia: quid sapientia & prudentia conferat, & vtra melior sit, quod prudentia cũ virtutibus moralibus habeat commercium. In septimo, octauo, & nono de iis disserit, quæ non sunt illa quidẽ in virtutibus & vitiis, sed tamen sunt in bonis & malis: In septimo de continentia & impotentia, de voluptate & dolore. In octauo & nono de amicitia, quam virtutem dicit, vel cũ virtute copulatam. In decimo primùm de voluptate & dolore eadem de causa disputat, quòd scilicet ad virtutem conducant. In eo extremo iterum de beatitudine disserit, vt extrema primis respõdeat. Nã vt illud primùm inueniendum est quod nobis quasi finem proposuimus, & eo inuento rationes quibus ad id perueniri possit, exquirendæ sunt, tum postremò id adipiscendum. Sic Aristoteles, cum in primo libro summum bonum finem esse hominis inuenisset, virtutesq; omnes quasi gradus quosdam per quos facilis ascensus ad illud pateret, animaduertisset, per eos omnes gradus cæteris libris conscendens, tandem in eo tanquam adepto conquiescit.

H

ARISTOTELIS AD NICOMACHVM FILIVM, DE MORIBVS, QVÆ ETHICA NOMINANTVR,

LIBER PRIMVS, IOACHIMO PERIONIO CORMOERIACENO INTERPRETE.

OMNIS ARS, OMNIS DO*ctrina, omnis actio, omne studiũ & institutum, ad bonum aliquod refertur. Itaque probè veteres summum bonum definierunt, id, ad quod omnia referuntur. Finium autem genera sunt plura: vnum eorum qui actione, alterũ eorum qui non solùm actione, sed etiã opere cernũtur. Ac quarũ rerum præterquàm quod actiones alij præterea fines sunt, in iis natura sunt opera meliora actionibus. Et quoniam multæ actiones & officia, artes, ac scientiæ erant, complures etiam fines extiterunt. Nam & medicinæ valetudo proposita est, & arti ædificãdarum nauium nauis, & rei militari victoria, & rationi rei familiaris diuitiæ. Quæq; artes eius generis vni alicui facultati subiectæ sunt (velut rei equestri ea quæ frænos conficit, cæteraq; omnes quæ instrumenta equorum tractant, vt hæc ipsa & omnia officia bellica rei militari, itemq; aliæ alij) in iis omnibus, fines earum*

quæ principem locum tenent, magis expetendi sunt, quàm omnium earum quæ sub eas subiectæ sunt, quippe cùm horum causa etiam illi expetantur. Nihil autem interest, vtrum actiones ipsæ sint actionum fines, an aliud quippiam, quemadmodum in iis scientiis quas
2 *commemorauimus. Atqui si quod est rerum agendarum vltimum, quod & propter se expetamus, & propter ipsum cætera omnia, nec omnia propter aliud sequimur (sic enim res progredietur in infinitum, vt inanis omnis noster appetitus, stultumq́ studium sit futurum) perspicuum est in eo esse summum bonum. Cuius cognitio ad vitam degendam momentum magnum habet. Nam tanquam sagittarij signum intuentis, facilius decorum assequemur. Quod cùm ita sit, danda opera est, vt ipsum & quid tandem sit, & cui sit scientiæ vel facultati propositum, intelligamus. Igitur ei quæ domina est, & princeps omnium, propositum esse constat, qualis ciuilis sciētia videtur esse. Nam & quibus in Repub. scientiis vtendum sit, & quas quisque discere debeat, & quatenus, ipsa describit. Atque etiā facultates eas, quæ in maximo honore sunt, & pretio, vt rem militarem, vt rē familiarem, vt Rhetoricē, huic subiecta cernimus. Quòd si artes hæc reliquas omnes, quarum omne opus est in agendo, ad vsum suum adhibet, præscribitq́ legibus quid faciendum fugiendumq́ sit, profectò necesse est eius extremo & fine reliquarum fines contineri: vt in eo summum hominis bonum esse videatur. Etenim si eadē est vtilitas vniuscuiusque & vniuersorum, at Rempub. tamen & capessere, & conseruare maius quiddā, ac perfectius videtur. Præclarè enim se res habebit, si vni, eiq́ in solitudine vitam agenti, consulatur: at verò si genti & ciuitatibus, multò*

& pulchrius & diuinius. Atq; hæc quidē ratio quoniā
3 ciuilis est, in his tota versatur. In qua explicanda satis longa sumetur oratio, si quātum res proposita feret, explanabitur. Non enim in omnibus disputationibus limatum accuratumq; genus similiter requirēdum est, vt nec in iis, quæ ab arte proficiscuntur. Atqui iis in rebus, quæ honestæ, quæq; iustæ sunt in quibus ciuilis sciētia versatur, tanta inest dissimilitudo, tantus etiā ex iis error cōsequitur, vt lege tantummodo, nō etiā natura videātur cōstitutæ: isq; etiā in bonis hæret, propterea quòd multi ex iis detrimenta consequantur. Iā enim aliis diuitiæ, aliis vis corporis, exitū, perniciemq; attulit. Ergo satis erit, eos qui de rebus eiusmodi verba faciunt, pingui quadam Minerua, planeq; quid in quaq; re veri sit, demonstrare: & qui de rebus quæ plerunque eueniunt, disserunt, ex his similia concludere. Eodemq; modo accipi probariq; debent quæ dicuntur omnia. Est enim hominis eruditi, vsuq; periti, subtilitatē requirere in omni genere eatenus, quoad rei natura patiatur. Nihil enim interest, vtrum mathematicum suadentem probes, an ab oratore necessariam rationem requiras. Atqui quæ quisque nouit, de iis verè iudicat, eorumq; æquus est æstimator. De omni ergo re, verè iudicabit is, qui vsu rerū valet: omnino verò, qui in omni doctrina eruditus est. Quocirca ciuilis scientiæ nō est iuuenis idoneus auditor. Est enim expers officiorum, quæ vita desiderat: hæc autem de officiis oratio est. Iā verò cum libidini animi pareat, frustra & inutiliter audiet: quādoquidem finis huic propositus non in cognitione, sed in actione consistit. Qui puer sit ætate, anne moribus puero par & similis, nihil interest. Non est enim vitiū in tempore, sed in moribus. Cuius generis hominibus,

quemadmodum impotentibus, inutilis cognitio futura est. At verò qui rationi suas appetitiones obedientes efficiunt, ij magnũ fructum ex hac scientia consequentur. Ac de auditore quidem, quoq; modo quicque accipiendum sit, & quid nobis proponamus, his libris prooemij loco hactenus diximus.

4 Quoniam autem omnis scientia & omne institutum ad bonum quoddam refertur, statuamus quid sit, quò ciuilem rationem referri dicimus, quaq; in re sit omnium rerũ agendarũ extremum bonum. Constitit quidem ferè inter omnes, quo nomine appellari placeat. Beatitudinem enim & indocti & docti vocant: bene etiam viuere, & secundis rebus perfrui, idem quod beatum esse existimant. Quid autẽ sit beatitudo, non constat, deq; eo est inter eos omnis dissensio: nec vero docti & indocti in eodem ponunt. Alij enim in eorum aliquo quæ posita sunt in oculis omniũ, vt in voluptate, vt in diuitiis, vt in gloria: alijq; in alio, plerunque etiam idẽ in alio atque alio. Cum enim ægrotat, in valetudine ponit: cum pauper est, in diuitijs. Qui autem sibi conscij sunt suæ ignorationis & imprudentiæ, eos admirantur, qui magnum aliquid, quod eorum etiam vires superet, dicunt. Quidam verò præter hæc cõplura bona, aliud quoddam esse putant in quo satis est causæ cur cætera bona sint omnia. Et omnes quidem exquirere sententias, superuacaneum sit: contenti autem erimus, si vtamur iis potissimum, quæ extant, quæq; aliqua nitantur ratione & sentẽtia. Hoc autem obliuisci non debemus, interesse inter rationes eas, quæ à principiis proficiscuntur, & eas quæ ad ipsa principia ferunt. Rectè enim hoc Plato dubitabat & requirebat, vtrum via esset, eáne quæ à principiis permanaret ad fines, an quæ ad principia ferret: velut in

curriculo, ab iis qui præmia proponunt ad calcem, an contrà. Initium enim capiendum est ab iis rebus quæ nota sunt, quarum duo genera sunt: alia enim cognita sunt nobis, omnino & per se alia. Ac nobis quidem certè ab iis capiendum est exordium, quæ sunt nobis cognita. Quocirca qui de rebus honestis & iustis, & vno nomine ciuilibus, accurratè auditurus est, is sit oportet bonis moribus præditus & institutus. Principium enim est, rem esse. Quod si sit perspicuum ipsum quam ob rem sit, nihil desiderabitur. Homini enim eiusmodi aut iam percepta sunt principia, aut facilè percepta erunt & cognita. Cui autem horum neutrum inest, audiat Hesiodi carmina:

Felix qui potuit rerum cognoscere causas,
Et duris optata tulit solatia rebus.
Fortunatus & ille, alium qui recta monentem
Audit, & inuentis ponit vestigia lætus.
Qui rebus non consulit ipse cadentibus vltro,
Inducitq; animum voces contemnere veras,
Ille quidem inuisus diuis, & inutilis orbi est.

5 *Nos autem ad eam partem sermonis, ex qua egressi sumus reuertamur. Summum enim bonum & beatitudinem non sine causa ex vita genere videtur existimare vulgus quidem & homines importunissimi, qui eam in voluptate ponunt. Itaque vitæ degendæ rationem adamant delicatam & voluptariam. Tria enim sunt vitæ genera, quæ maximè excellunt: hoc, quo de modò diximus, ciuile: & tertium, id quod in contemplatione & cognitione consistit. Ac multitudo seruorum persimilis pecudum vitam illa quidē sequi videtur: sed causa ei est; propterea quòd complures eorum qui potestate & imperio valent, iisdem libidinibus quibus Sar*

danapalus: constricti tenentur: vrbani verò, iiq; omnes quorum vita omnis in actione rerum versatur, beatam vitam in honore putant. Ferè enim ei vitæ generi, quod in Reipub. administratione positum est, hic propositus est finis: atqui latius patet, quàm id bonum quod quærimus. Est enim in iis potius qui colũt, honos, quàm qui coluntur. Summum autem bonum, propriũ quiddam auguramur, quodq; vix possit eripi. Iam verò gloriam & honorem persequuntur, vt opinionem afferant aliis se esse probos: itaque coli, afficiq; honore à prudentibus volunt, & à notis, idq; ob virtutem. Perspicuum est igitur, horũ quidem ratione & sententia virtutem esse meliorem: quam eandem potius quasi finem propositam vitæ ciuili licet existimare: quanquam ea quoque à perfecto absolutóq; genere distat. Fieri enim potest, vt qui virtute præditus, etiam dormiat, aut in vita nihil agat omnino, & præterea maximis in malis, miseriisq; versetur: eum autem qui sic viuat, in beatis, nisi propositi defensor, nemo duxerit. Atq; hæc quidem hactenus. Satis enim multa de iis dicta sunt in iis libris quos ἐγκυκλίοις inscripsimus. Tertium genus est, quod in contemplandis rebus cernitur, quod deinceps considerabimus. Nam quæ vita in pecuniis congerendis occupata est, vim desiderat ad se parandam & tuendam, & profectò in diuitiis non est id bonum quod quærimus, quoniam sunt in bonis vtilibus, quorum quicq; aliò refertur. Quapropter in iis potius quæ supra dicta sunt, quia propter se amantur, finem vltimum bonorum licet putare. Nec tamen in illis est, quanquam multa ad id confirmandum rationes allatæ
6 *sunt & coaceruatæ. Atque his quidem omissis, vniuersum bonum considerari est melius, quoq; modo di-*

tatur exquiri. Quæ nobis, etsi difficilis existit quæstio, quòd nobis amici sint ij qui ideas induxerunt: tamen æquum est veritatis retinendæ causa, sua etiã decreta tollere, philosophos præsertim. Etsi enim vtrique chari sunt, tamen præclarum est pluris æstimare veritatem. Qui hanc sententiam inuexerunt, non faciebant ideas eorum in quibus prius posteriusq́; dixissent: itaq; ne numeris quidem ideam fabricati sunt. At bonum & in substantia dicitur, & in qualitate, & in iis quæ cum aliquo conferuntur: quæq; per seipsa sunt & substantia, iis sunt quæ cum aliquo comparantur, natura ordine priora. Propagini enim hoc simile est, eiq; rei quæ substantiæ accidit. Non igitur esse in his idea communis vllo modo potest. Præterea cùm bonum æquè pateat, ac natura (dicitur enim in substantia, vt Deus, & mens: & in qualitate vt virtutes: & in quantitate, vt mediocre: & in iis quæ cum aliquo conferuntur, vt vtile: & in tempore, vt opportunitas: & in loco, vt mora, quæq; sunt generis eiusdem) perspicuum est, commune aliquid, summum vniuersumq; & vnum esse non posse. Neque enim in categoriis omnibus, sed in vna solùm diceretur. Iam verò, si eorum omnium, quæ vni ideæ attributa sunt, vna tantummodo scientia est, necesse est quoque bona omnia scientia vna contineri. Nunc verò plures sunt etiam eorum, quæ sub vnam categoriam subiecta sunt: vt occasionis, in bello quidem res militaris: in morbo, medicina: & mediocritatis, in cibo, medicina: in laboribus, gymnastice. Sed quærat aliquis quid tandem sibi velint, cum res singulas ipsius nomine appellant. Siquidem in ipsum hominẽ, & in hominem, vna eademq; valet hominis definitio. Neque enim quia homo sit, aliquid inter eos interest. Quòd si ita est,

nec quia bonum sit, nec quia æternum est, ideo melius bonum: quandoquidem ne alba res quidem in longum tempus duratura, albior est ea, quæ in diem. Ac mihi quidem certè probabilius de eo dixisse Pythagorei videntur, qui vnum in bonorũ ponunt ordine, quos Speusippus imitatus est. Sed de his quidem alius est mihi ad dicendum constitutus locus. Ex iis autem quæ dicta sunt, quæstio quædam suboritur, quoniam non de bonis omnibus verba fecimus. Dicitur autem vnum genus eorum, quæ per se expetuntur & amantur. Conficientia verò eorum, aut aliquo modo tuentia, aut etiam contrariorum prohibentia, propter illa, aliaq́; ratione, bona nominantur. Ergo hoc quidem apparet, duo esse bonorum genera: alia propter se, alia propter illa. Separatis igitur vtilibus ab iis quæ per se bona sunt, an vni ideæ attribuãtur, consideremus. Ea quidem propter se bona quiuis ponat, quæ sola & seiuncta à cæteris sequatur, vt sapere, vt videre, vt sunt nonnullæ voluptates, vt honores: etsi enim hæc ipsa propter aliquid aliud sequimur, tamen in iis quæ per se bona sunt, licet ponere: aut nihil præter ideã sit in bonis. Ita superuacanea species futura est. Sin autem hæc quoque sunt in iis quæ per se bona sunt, necesse erit vt in niue & cerusa candoris, sic boni definitionem in iis omnibus eandem declarari. Atqui honoris, prudentiæ, voluptatis, diuersæ sunt definitiones, hoc ipsò quòd bona sunt. Non est igitur vni ideæ commune bonum aliquod attributum. Sed quonam modo dicũtur? Non enim similia videntur iis, quorum nomen est commune fortuitò. An quia ab vno profecta sunt? an quia ad vnum omnia referuntur? an potius proportione? Vt enim in corpore aspectus, sic est mens in animo, aliudq́; in alio. Sed hæc

quid

quidem fortassis hoc tempore omittenda sunt, quoniam de iis accuratè disputare, alterius philosophiæ magis proprium esse videatur. Eadem est ratio ideæ. Etenim si quod vnum est bonum quod communiter dicatur, aut si quod est seiunctum ipsum per se, perspicuum est id nec agi ab homine posse, nec haberi. Nunc tale aliquid quærimus. Sed fortè eius cognitio cuipiam videatur conducere ad ea omnia bona quæ agenda sunt, quæq; adipiscenda. Nam si ipsum tanquam exemplar nobis proponemus, facilius quæ nobis salutaria sunt intelligemus: & cùm intellexerimus, consequemur. Atque hæc quidem ratione quadam nititur oratio; sed scientiis artibusq; repugnantibus. Nam cùm ad bonũ quoddam omnes referantur, requirantq; id ipsum semper quod deest: tamen eius cognitionem prætermittunt vniuersæ. Atqui non est consentaneum, artifices tantum ignorare, nec quærere adiumentum. Illud etiam quæri potest, ecquid textori aut fabro ad artem adiumenti, si ipsum bonum intelligant, afferri queat? aut quo tandẽ modo nobilior medicus, clariórue dux belli sit futurus is, qui ideam ipsam intuebitur? Cõstat enim medicum hoc modo non spectare valetudinem, sed hominis, aut potius certè singulorum. Medetur enim singulis.

7 *Atque hæc quidem hactenus. Nunc autem redeamus ad bonum quod quæritur, vt quid sit intelligamus. Nam satis constat, aliud in alia esse actione & arte: quoniam aliud est in medicina, aliud in re militari, cæterisq; omnibus eodem modo. Quid est igitur quod cuique arti bonũ propositũm est, nisi quò omnia quæ rectè fiunt, referuntur? Hoc in medicina valetudo est, in re militari victoria, in architectura domus, aliudq; in alia: in omniq; actione & consilio finis;*

quandoquidem eius causa, omnes agunt omnia. Quocirca si in vno aliquo est finis rerum agendarum omnium, sit in eo id bonum quod agendum est. Sin autem sit in pluribus, in eis ipsis: mutata enim, tamen eodem spectat definitio. Hæc nobis explicanda sunt, sed enodatius. Quoniam autem plures fines sunt, aliosq; propter alios expetimus, vt diuitias, vt tibias, & vno nomine instrumenta: perspicuum est non esse omnia perfecta. Quod autem optimũ est, id omne perfectum. Si ergo vnum aliquid vndiq; perfectum est, sit in eo quod quæritur: sin plura, in eorum absolutissimo. Atqui quod propter se expetitur, id confirmamus eo quod propter aliud expetitur, perfectius: & quod nunquam aliò refertur, iis omnibus quæ propter se & propter hoc expetuntur. Id igitur omnibus numeris perfectum est, & absolutum, quod propter se semper, nunquam propter aliud expetendum est: qualis felicitas videtur maximè. Nam & propter se eam semper, & nũquam propter aliud optamus. At verò & honorem, & voluptatem, & intelligentiam, & omnes virtutes vi sua, ex se & propter se, illas quidem optamus: quandoquidem detracta omni opinione vtilitatis, tamen eorum singula optaremus: sed beatitudinis etiam causa eadem expetimus, quòd per ea speremus nos summum bonum adepturos. At felicitatem nemo earum, neque aliarum rerum omnino causa expetit. Quod idem ex ea etiam abundantia rerum, quæ seipsa contenta est, efficitur. Quod enim bonum vndique perfectum est, omne satis esse & sufficere videtur. Satis autem esse ac suppeditare dicimus, non ipsi soli vitam in solitudine agenti, sed parentibus, liberis, coniugi, cæterisq; amicis & ciuibus: quandoquidem homo aptus est ad cœtus, societatem

tatem

tatemq; natura. Sed in iis certi quidam termini constituendi sunt. Nã si progrediamur ad parentes, si ad posteros, amicorumq; amicos nunquam finis reperietur. Sed hoc iterum etiam atque etiã consideremus. Quicquid id est quod seipsum contentum sit, statuimus einsmodi, quod solum, seiunctum, secretumque à cæteris vitam expetendam efficit, & nihil requirentem: qualem beatam vitam esse ducimus. Et prætereà si cum cæteris bonis non coniungatur, anteponendam esse omnibus. Sin coniungatur, perspicuũ est pluris eam esse cum minimo bono coniunctam, quàm separatim. Bonorum enim præstantia, accessione eius quod additur, ad aliquid existit. At maximũ quodq; bonũ semper expetendum est maximè. Hoc igitur iam apparet, felicitatem perfectum quiddam esse, omnibusq; suis partibus absolutum, seq; ipsam esse contentam, cùm rerum agendarum omnium sit extremum. Sed fortasse beatitudinem summum bonum appellari inter omnes constat: hic verò locus vt magis explanetur quid sit, postulat: id iam patebit, si quod sit hominis opus & officium, intelligatur. Vt enim tibicen, quiq; signa fabricatur, omnisq; artifex, iiq; omnes quibus aliquod opus propositum est, vel actio, in opere ipso finem perfectionemq; artis statuunt: sic homini, si quod est eius opus & officiũ, faciendũ esse videatur. Ergo in fabro erunt & sutore certa aliqua officia & actiones, in homine nulla erunt, natusq; est ad otium? An nõ vt oculi, manus, pedis, singularumq; partium suum est munus: sic homini quoque, præterquàm quod hæc omnia, opus aliquod munusq; tribuetur? Quodnam erit illud tandem? Est enim ei cum stirpibus vita communis. At proprium hominis bonũ quæritur. Vita igitur

ad

ad alendum augēdumq́ pertinēs, semouenda est. Hāc sequitur vita sensu directa. At communis & equi, & ouis, & animantium omnium. Relinquitur ergo vita ea, quæ in actione versatur, quæq́ ab ea parte animi proficiscitur, quæ rationis est particeps. Huius porrò vis vna est, quæ rationi paret: altera, in qua ipsa sedes est rationis & cogitationis. Cum verò huius quoq́ vis sit duplex, ea constituenda & ponenda est, quæ actione cernitur. Hāc enim dici est aptius. Quod si ita est, opus officiumq́ hominis sit necesse est, animi actio rationi consentanea, aut certè à ratione non aliena. In eodem autem genere vnius, & eiusdem & quatenus probus nō est, & quatenus est, officium ponimus: vt citharœdi, & clari citharœdi: quod contingit in omnibus, addita ad opus virtutis excellentia. Citharœdi enim est, vti fidibus: nobilis, scitè. Quod cùm ita sit, hominis opus & munus in vita quadam ponemus, quæ eadem actio est animi rationi congruēs. Quæ omnia boni viri est rectè ac præclarè gerere. At sua quicque virtute rectè absoluitur, & expletur. Quod si ita est, summum hominis bonum animi actio est virtuti consentanea. Quòd si plures virtutes sint optimæ ac perfectissimæ, idq́ in vita vndiq́ perfecta. Vt enim vna hirūdo non facit ver, nec dies vnus: sic vnus dies, aut breue tempus, non efficit beatum. Atq́ hoc quidē pacto, summum bonū circunscriptum sit. Primum enim ponendum fuit oculis omnium, depingendumq́ pingui quadam Minerua, tū posteà describendum. Est autem hoc in facultate positum omnium, producere, & coaceruare descriptione, quæ recta sunt omnia: quarum rerum in tempore posita inuentio est & adiumentū, à quo etiam artes ipsæ, à tam exiguo principio profecta, ad tantum decus per-

uene

venerunt. Potest enim quilibet, id quod deest, addere. Atq; etiã meminisse debemus, quod suprà dictum est, subtilitatem non eodem modo quærendam esse in omni disputatione: verùm pro rei, quæ proposita sit natura: atq; eatenus, quoad ars & via tradendi cõpendiaria patiatur. Nam & faber & geometra, non eodem modo rectum angulum inuestigant: sed ille, quatenus est ad opus vtilis: hic quoniam spectator est, & æstimator veritatis, quidnam sit, & qualis, requirit. Eodemq; modo faciendum est in cæteris omnibus, ne in eo quod attingendum fuit, quàm in eo cuius causa attigimus, longior ponatur oratio. Neque verò omnium similiter quærenda, & inuestiganda causa & ratio est: nonnullisq; in locis contenti esse debemus, si rem esse doceamus, vt fit in principiis. Est autem primum & principium, rem esse. Principiorum autem alia inductione cognoscuntur, nonnulla sensu, quædam consuetudine, aliaq; aliter. Eorum autem singula diligenter explorata esse debent, quantum natura possunt: dãdaq; opera est, vt probè definiantur, cùm præsertim magnum momentum ad ea omnia habeant, quæ consequutur. Quocirca plus principium, quàm dimidium totius rei valet: eoq; fiunt multa perspicua eorum, quæ indagantur.

8 *Atqui cognoscenda felicitas est, non ex conclusione solùm, neque ex iis, ex quibus cõficitur oratio, sed ex iis etiam quæ de ea feruntur. Nam & congruunt: cũ verò quæ insunt omnia, & quamprimùm verum dissentit à falso. Cùm ergo bonum in tria genera sit diuisum, sintq; alia bona fortunæ, alia animi, & alia corporis: animi bona verissimè & maximè bona nominamus. Itaque quoniam actiones animi, & officia in animo ponimus, cùm præclarè dictum est, & aptè ad hanc quidem sententiam*

tentiam quæ & vetus est, & philosophis comprobata: tum etiam rectè, quòd in actionibus quibusdam finem extremumq́ue ponamus. Sic enim totum positum est in animi cura & cogitatione, non in fortunæ temeritate. Cum ratione hac etiam congruit, quod vulgò dici solet, bene, secundisq́ue rebus perfrui, beateq́ue viuere beatum. Propè enim ab omnibus in honesta quadam vita, & prosperitate posita est. Atque etiam in eo in quo diximus esse felicitatem, ea omnia insunt, quæ de beatitudine quæruntur: aliis enim in virtute videtur, aliis in prudentia, quibusdam in sapientia: nonnulli eam in his ponunt, aut in horũ aliquo, aut adiuncta, aut non seiuncta voluptate: alij etiam rerum externarum, adiungunt affluentiã. Atque hæc est multorum ac veterum, illa perpaucorum clarorumq́ue virorum oratio & sententia: quorum neutros verisimile est omni ex parte aberrasse, sed aliquã: quinetiam magna ex parte rectam viam secutos. Ac cum iis quidem, qui beatam vitam dicunt omnem virtutem, aut aliquam virtutem, cõsentit definitio: est enim ei actio cõsentanea. Magnopere autem refert profectò, in possessione summum bonum, an in vsu, an in habitu, an in actione ponatur. Fieri enim potest, vt is, in quo inest habitus, nihil rei præclaræ gerat, vt dormientes, aut alio modo otiosi. At verò is in quo est actio, non potest: aget enim necessariò, & honestè aget. Vt autem in Olympicis ludis, non formosissimus quisque, aut robustissimus corona donatur, sed qui in certamen descendunt: (horum enim nonnulli vincunt) sic eorum quæ in vita honesta ac bona versantur, compotes fiunt, ij qui recta quæ sunt, faciunt. Quorum vita ipsa per se iucũda est, quoniam voluptate affici in iis numeratur,

quæ

quæ in animo insunt. Cuius autem rei quisque cupidus est, ea delectatur. Vt equo, is qui amat equos, theatro, qui theatri cupiditate ducitur. Eodemq; modo rebus iustis lætatur is, qui iusti & æqui studiosus est: & omnino rebus quæ ad virtutem pertinent, is cui virtus chara est. Ac plerisque ea quæ iucunda sunt repugnant, propterea quod non sunt sua sponte eiusmodi. Iis autem hominibus, qui sunt studiosi honestatis, ea voluptatem afferunt, quæ vi sua iucunda sunt. Quo in genere sunt quæ virtuti congruunt actiones. Itaque his sunt voluptati, idq; propter se. Quocirca nihil eorum vita, voluptate indiget, tãquam aduentitia, sed in se ipsa inclusam habet voluptatem. Nam præter ea quæ dicta sunt, non est vir bonus habendus is, qui honestis actionibus non lætetur. Neque enim quisquam aut iustum dixerit eum, qui iustis actionibus non gaudeat: aut liberalem eum, qui non delectetur officiis liberalitatis, itemq; in cæteris omnibus. Quæ cum ita sint, confitendum est, per se iucundas esse virtutis actiones, & bonas & honestas, ac singulas maxime: siquidem verè de iis vir bonus iudicat: at iudicat, vt diximus. Est igitur quiddam optimum, honestissimum, & iucundissimum, beatitudo. Nec verò separata hæc sunt ex Deliaco epigrammate,

Nil mage iustitia pulchrum est, meliusque salute:
Res iucunda frui, quod sibi quisque petit.

Insunt enim hæc omnia optimis actionibus, in quibus, aut in vna earum optima felicitatem esse dicimus: Sed tamē bonis, vt diximus, externis indiget. Vix enim potest, aut ne vix quidem, res magnas & dignitatis plenas gerere is, cui nullæ opes, nullæ suppetant copiæ. Permulta enim efficiuntur quasi instrumentis quibusdam

busdam, vel amicorum opera, vel pecunia, vel ciuis dignitate: suntq; nonnullæ res, quarum amotio beatam vitam labefactet, vt nobilitas, vt liberi, vt forma. Neque enim planè ad beatitudinem aptus est is, qui omnino deformis sit, aut ignobilis, aut qui vitam in solitudine degat, aut sit sine liberis: ac multò etiam minus forsan, si cui sint liberi improbissimi, vel amici boni è vita excesserint. Ergo, vt diximus, has prosperitates videtur beata vita requirere. Ex quo fit, vt quidam felicitatẽ idem esse, quod secundam fortunam: nõnulli, virtutem
9 *statuant. Ex quo existit quæstio, nũ doctrina, consuetudine, an alia aliqua exercitatione pariatur, an diuina aliqua causa adsit, an hoc ita sit fortuitò. At si quod à diis aliud datum munus hominibus est, profectò consentaneum est, felicitatem etiam datam esse a diis: eoq; maximè, quòd in rebus humanis melior est, & præstantior. Sed hæc non sunt huius disputationis, & temporis. Hoc verò apparet, etiam si non data sit concessu & munere deorum mortalium generi, sitq; virtutis, artis, aut exercitationis, tamen in rebus maximè diuinis esse ducendam. Virtutis enim merces & finis optimum quiddam est, diuinum & beatum: quod idem latè pateat, necesse est. Potest enim comparari disciplina aliqua, & diligẽtia ab iis omnibus, quorum quidem a virtute animus aliquo vitio non retardetur. Quòd si sic melius est beatum esse, quàm fortuitò, certe ita esse confitendum est. Siquidem quicquid à natura proficiscitur, ita secũdum naturã affectum est, vt optimè affectum esse possit: itemq; cùm omnia quæ ab arte, causis omnibus efficiuntur, tum vel maximè, quæ ab optima. Magnum autem scelus sit, rem omnium maximam & præstantissimam, fortunæ adscribere. Atque etiã ex definitione*

perspici

perspici potest quod quærimus. Confirmauimus enim eam esse actionem quandam virtuti consentaneam. Reliquorũ autẽ bonorũ partim adesse necesse est, partim sunt adiuuãtia & vtilia quasi instrumenta. Atq; his consentiunt quæ initiò diximus. Ciuili enim sciẽtiæ finem esse propositum summũ bonum posuimus. Huic autem cura omnis ferè in eo posita est, vt & ciues bonos efficiat, & ad res magnas & honestas agendas idoneos. Iure igitur nec bouem, nec equum, nec aliud animal vllũ beatum ducimus. Nullum enim eorum est huius particeps actionis. Ob eamq; causam ne puer quidem beatus est: quippe cum nondum per ætatẽ ad has vitæ actiones sit aptus. Qui autem dicuntur, ob spem & expectationem quã de se concitant, ducũtur beati. Opus est enim vndique, vt dixi, perfecta virtute, conpletaq; vita. Multæ enim in vita mutationes, variiq; euentus versantur: fieriq; potest, vt qui secunda fortuna vsus sit, is in maximas incidat calamitates in senectute: quod de Priamo iis in libris qui de Heroibus scripti sunt, ferunt fabulæ. Qui autem quasi eiusmodi senserit, misereq; è vita migrauerit, eum nemo duxerit in

10 *beatis. Sed quæret aliquis, num quis alius quoad viuat, iudicãdus est beatus: sed Solonis sententia expectãdũ extremum tempus ætatis, vt tũ denique sit beatus, cùm supremum vitæ diẽ morte confecerit? At id quidem absurdum sit omnino, cum præsertim felicitatem in quadam actione statuamus. Quòd si beatum negamus eum qui excesserit è vita, nec hoc vult Solon quidem, sed tum denique aliquem tutò beatum iudicari posse, cum iam à malis est miseriisq; liberatus. Quanquam de hoc quoque est dissensio, etsi enim sensus abierit, tamen nonnullis bonis & laudis & gloriæ, quãuis*

non sentiãt mortui, quia viuunt, non carent, vt decore & dedecore liberorum, posterorum etiam rebus secundis & aduersis. Hæc quoq; dubitationẽ afferunt. Fieri enim potest, vt qui beatam vitam vsque ad senectutem protulerit, migraueritq; conuenienter rationi, cum multæ in posteris mutationes consequantur: quorum nonnulli boni viri sint, degantq; vitam ex dignitate: alij contrà. Hoc etiam perspicuum est, eos multis modis in parentum aduersis rebus non eiusdem generis posse affici. Absurdum quidem sit, si is quoque commutetur, qui oppetiit mortem, sitq; aliàs miser, aliàs beatus. Absurdum hoc quoque sit, res posterorũ nihil ne ad vllum quidem tempus ad parẽtes pertinere. Sed redeundum est ad id quod supra quæsitum est. Eo enim cognito, fortè quod quærimus intelligetur. Si igitur supremus vitæ dies expectandus est, vt tum quisque beatus existimetur, non quòd beatus ipse sit, sed quòd antea fuerit: quid est quamobrem non sit absurdum, cùm quisq; beatus est, de eo quod inest non verè dici? quòd propter varietatem fortunæ minimè placet viuos concedere beatos, quodq; stabile aliquid ac firmum, vixq; mutabile, beatam vitam putemus: fortunam contrà sæpe recidere in eosdem. Perspicuum est enim si euenta sequamur, eundem nos sæpe aliàs beatum, aliàs miserum esse dicturos. Ita beatum, Chamæleonti similem, nec satis firmũ affirmabimus. Atqui non est rectum, fortunam consectari. Non enim in ea positum est beatum esse vel miserum, etiã si hanc humana, vt dixi, vita desiderat. Beatæ autem vitæ dominæ sunt virtuti consentaneæ actiones, contrariæq; contrariæ. Hanc autem rationem id quoq; confirmat, quod quæsitum est. Nulla enim in re mortalium tanta inest firmitas, tanta constantia, vt iis

in

in rebus quæ virtute geruntur. Multò enim scientiis ipsis & firmiores sunt, & constantiores: quarum vt quæque præstantissima est, ita stabilis maximè: idq; accidit ob eam causam maximè, quòd diutissimè in iis viuant beati. Quæ causa est, cur nulla obliuione obruantur. Inerit ergo in beato quod quærimus, talisq; per omne tempus ætatis futurus est. Semper enim vel maximè ea & geret, & cogitabit omnia, quæ virtuti congruunt: & quemcunque fortuna casum inuexerit, hunc maximè decorè & aptè feret: quippe qui verè bonus sit, quadratus, omniq; reprehensione carens. Cumq; multos casus fortuna inuehat, iiq; magnitudine & exiguitate differãt: perspicuum est, res secũdas & aduersas, quæ paruæ & exiguæ interueniunt, nullum ad vitam momentum habere: quæ autem & magnæ & multæ prosperè eueniant, vitam efficient beatiorem. Nam & ad splendorem per se valent & ad ornatum: & vsus earum gloriæ plenus est, & dignitatis. Quæ autem cõtrà accidunt, ea vitam beatam illæ quidẽ labefactant, (nam & dolores afferunt, & multas actiones impediunt,) sed tamen tum splendescit apparetq; maximè, cùm sedatè ac moderatè quis, & multas, & magnas perfert calamitates: non indolentia quidem, sed quòd generoso, forti, magnoq; sit animo præditus. Quòd si sunt, vt dixi, vitæ dominæ actiones, certè nemo qui sit beatus, esse miser vllo pacto potest. Neq; enim vnquam quæ odio digna sint, quæq; mala faciet. Eum enim qui verè bonus sit, quique sapiens, putamus omnes casus fortunæ æquo animo esse laturum: ex iis etiam quæ sint in potestate, semper pulcherrima, quæque facturum. Vt & bonus imperator exercitu eo qui adest, semper vt vsus belli ferat, commodissimè vtitur,

& ſutor ex iis pellibus quæ ſuppetant calceum aptiſſimum conficit, eodemq; modo cæteri omnes artifices. Quòd ſi ita eſt, qui beatus ſit, miſer eſſe nullo modo poteſt: non tamen beatus ſit quidem, ſi in Priami calamitates incidat. Nec varius quidē certè eſt & mutabilis: neque enim ex felicitatis poſſeſſione facilè quis deiici detrudiq; poteſt: nec id leues caſus, ſed & graues & magni efficiant. Ex miſero autem iterum beatus non fiet exiguo tempore: ſed ſi producto abſolutóque ſpatio, rerum magnarum ac præclararum in eo accedat cumulus. Quid igitur prohibet nos beatum ſtatuere eum, qui virtutis perfectæ perfectò fungatur munere? quique in bonorum externorum ſatis magna abundantia viuat, nō aliqua parte ætatis, ſed in omni vita confecta atque abſoluta: aut certè eodem addendum, qui & eam vitam ſit acturus, & mortem ex ratione obiturus? quandoquidem incertus eſt rerum futurarū exitus, & beatitudinem finem eſſe, ac quiddam omni ex parte perfectum ponimus. Quæ cum ita ſint, beatos ex viuis dicemus eos, quibus adſint permanſuraq; ſint quæ enumerata ſunt omnia ad beatos homines. Atque hæc quidem hactenus.

11 *Caſus autem & res aduerſas poſterorum ac amicorum omnium nihil pertinere omnino ad mortuos, valde ab amici officio alienum ſit, ſententiiſq; omniū repugnare videatur. Igitur quàm multi caſus ſint: iiq; longè ac latè differant, cumq; alij magis, alij minus pertineant, ſigillatim quidem diſſerere, longum ſit & infinitum: ſummatim & populariter, ſatis. Vt igitur aduerſæ res quæ beato accidunt, aliæ momentum habent ad vitam, aliæ leues ſunt: ſic hæ omnes quæ amicis. Sed permultum intereſt, viuis an mortuis mala contingant: ac multò etiam magis, quàm*

vtrum

vtrũ res iniquæ & nefandæ in tragœdiis antè tractentur, an gerantur. Ratiocinandum igitur etiam est hîc quid quicq; intersit, vel potius quærendum est de mortuis, vtrũ alicuius boni participes sint, an contrà. Perspicuum enim est ex his, etiam si quid ad eos pertineat, siue boni, siue mali, exile id & exiguũ aut omnino, aut illis fore: sin minus, certè non tantam vim in eo esse, vt vel beatos eos qui non erant prius efficiat, vel iis qui antè beati erant, beatã vitam eripiat. Ergo hoc quidẽ iam apparet, res & secundas amicorum & aduersas, ad eos pertinere, illas quidem qui occiderint, sed ita, vt neque ex beatis miseros faciant, neque aliud quicquã
12 *generis eiusdem.* *His ita expositis iam felicitas in bonis sit laudabilibus, an potius gloriatione dignis, videamus. Est enim perspicuum, eam nõ numerari in iis quæ ipsa non sunt per se bona, sed esse possunt. Igitur hoc apparet, quod laudabile sit omne ob eam causam laudibus affici, quòd affectione aliqua sit præditum, & ad aliud quodam modo referatur. Nam & iustos, & fortes, & vno nomine viros bonos, & virtutes propter opera, munera, actionesq; laudamus. Et robustos, & qui ad cursum valent homines, cæterosq; eiusdem generis propterea laudamus, quòd à natura instituti sint, aptiq; ad gerendas res aliquas quæ in bonis sunt & honestis. Quod ex iis etiam laudibus quæ diis tribuuntur perspici potest. Ridiculas enim eas fore constat, si ad nos referantur. Hoc fit propterea, quòd laudes, vt dixi, referendo tribuuntur. Quòd si laus in eo genere est id perspicuum est, vt quicque optimum est, ita minime ad laudem valere, multoq; id esse & maius & præstantius. Idq; ex eo etiam perspicitur, quod & deos beatos fortunatosq; ducimus, & viros vt quisq;*

ad Deũ proximè accedit. Eadem est rerum bonarũ ratio. Beatitudinem enim nemo ornat laudibus, vt iustitiã: sed quòd multo & diuinior sit, & melior, diuino honore afficit. Rectè etiã Eudoxus videtur primas partes tribuisse voluptati. Nam cum in bonis esset ipsa, neque laudaretur, declarari putabat eam rebus omnibus præstare, quæ essent laudabiles: in eodem esse genere Deum ac summum bonũ, quoniã ad ea cætera referrentur. Est enim virtuti laus propria: quippe cùm ea aptissimus ad res honestas gerendas. Encomia autem ea potius attingunt, quæ tam corporis, quàm animi geruntur viribus. Sed hæc quidem accuratius inuestigare eorum sit potius, qui in encomiis elaborarũt: nobis autẽ ex iis perspicuũ est quæ dicta sunt, in bonis iis quæ ad decus valẽt, perfectisq́ numerari beatã vitã. Quod ita esse hinc etiã apparet, quòd est principiũ: eius enim causa omnes omnia facimus: principium autẽ, idq́ omne in quo causa est cur cætera bona sint, gloriatione dignũ & diuinum ponimus.

13 Sed quoniam beatitudo est actio quædã animi virtuti vndiq; absolutæ cõgruens, iã virtus ipsa consideranda cognoscendaq; est: sic beatã vitã facilius cõtemplabimur. Atq; is quidem videtur qui ciuili scientia verè instructus est, huic maximam dedisse operam: quoniam hoc vult, hoc spectat, & ciues bonos efficere, & obediẽtes legibus. Hoc declarant Cretensium & Lacedæmoniorum legislatores, & si qui alij in eo genere floruerunt. Quòd si hæc ciuilis scientiæ propria est cognitio, perspicuum est, cum eo instituto quod iam inde ab initio secuti sumus, omnẽ hanc congruere & consentire quæstionem. Videndum est scilicet, quæ sit hominis virtus: etenim de summo bono hominis quærebamus. Sed virtutem dicimus hominis, non quæ corpus,

sed

ſed quæ animum attingit humanum: beatamq́; vitam, animi actionem nominamus. Quæ cùm ita ſint, perſpicuum eſt, vt eum qui oculos curaturus ſit, totum corpus: ſic eum qui ciuili ratione inſtructus ſit, ea omnia quodammodo quæ ad animum pertinent, cognita habere oportere: ac multò etiam magis, quo maior ciuilis ſciẽtia, & melior quàm medicina eſt. Atqui clari nobiléſque medici multum operæ in cognitione corporis ponunt. Cognoſcendus igitur ei animus eſt, qui ciuili ſciẽtia eſt præditus. Cognoſcendus eſt autẽ horum cauſa, & quoad ſatis ſit ad ea quæ quærimus. Nam ſubtilior, accuratiorq́; eius explicatio maioris negotij ſit, quàm ipſa illa res, quam nobis proponimus. De qua, quoniam in iis libris quos ἐξωτερικοὺς inſcripſimus, ſàtis multa diximus, illinc aſſumenda ſunt, quæ ad hũc locum pertinebunt: veluti vnam eius partẽ expertẽ eſſe rationis, participem alterã. Vtrum autẽ ſeparata ſint, vt partes corporis, & quicquid ex partibus conſtat: an cogitatione duæ res ſint, quæ ſua ſponte ſeparari nequeãt, quemadmodum in orbe pars quæ conuexa dicitur, & concaua: ad id quod agimus, nihil intereſt. Eius autem partis, quæ rationis expers eſt, alia vis eſt, etiã plantæ communis: eã dico, quæ cauſa eſt cur alamur & augeamur. Hanc enim vim animi tum in iis omnibus quæ aluntur, tum in fœtibus licet ponere, tum etiam in perfectis animantibus: hanc enim aptius eſt, quàm

14 aliam. Huius rurſum commune quoddam munus eſt, non hominis proprium: quippe cùm tum maximè cùm ſomnus capitur, hæc ſiue pars, ſiue vis, ſuo officio & munere fungatur. Atqui bonus ab improbo in ſomno minimè internoſcitur. Hinc negãt inter beatos ac miſeros per dimidiatũ vitæ tempus quicquam intereſſe,

Idq́ iure ac meritò accidit, propterea quod somnus animi est requies, non quia bonus sit, vel malus, nisi si quæ motiones sensim oriantur, ac tum meliora visa sunt bonorum quàm quorumlibet. Sed hæc quidem hactenus. Alendi etiã vis prætermittenda est, quandoquidẽ virtutis hominis expers est. Alia autẽ est etiam vis animi rationis expers, quæ tamen eius quodammodo est particeps. Nam & continentis impotentisq́ rationem, & animi partem eam quæ rationem habet, laudamus. Inuitat enim vera ratio bene sanos ad iustitiã & æquitatem. Constat autem in eis aliquid aliud esse innatum præter rationem, quod repugnat obsistitq́ rationi. Vt enim in corpore si partes dissolutas & dissipatas dextrorsum moueri velimus, cõtrà ad læuam perspicuè feruntur, sic in animo: distrahuntur enim in contrarias partes impotẽtiũ cupiditates. Sed in corpore id quod rapit & distrahit videmus, in animo nõ videmus. Certè nihilominus existimare debemus inesse quiddam in animo præter rationem, quod ei resistat & repugnet. Quomodo autẽ ab ea diuersum sit, nihil interest. Hoc autẽ, vt dixi, rationis est etiã particeps, paret enim rationi in continente, ac multò etiam magis in tẽperatis & fortibus, in quibus omnia rationi congruunt. Hoc ergo apparet, vim expertem rationis esse duplicẽ: vis enim ea quæ crescendi causa tributa est, nulla ex parte rationis est particeps: concupiscẽdi autem & appetendi quodammodo ea vtitur, quatenus ei obedit, atque paret. Atqui eã dicimus compotem quidem & parẽtis amicorumq́ rationis, non tanquam mathematicorum. Nam vim expertem rationis parêre quodãmodo rationi, & admonitiones, & obiurgationes, & adhortationes indicant. Quòd si confitendum est, hanc quoque

vim

vim compotem esse rationis: duplex vis erit rationis particeps: alia proprie & in seipsa: alia veluti probus filius obedit parenti. Hac autē distinctione & dissimilitudine, etiā virtus diuiditur: alias enim in ratione esse dicimus; alias more perfectas. In ratione sunt, vt sapientia, vt sagacitas, vt prudentia: more perfecta, vt liberalitas & temperantia. Nam cùm de moribus alicuius loquimur, non sapientem eum, vel sagacem dicimus, sed clementem & modestum: sapientem etiā laudamus ob animi habitum, & habitus eos qui laudabiles sunt, virtutum nomine appellamus.

ETHICORVM ARISTOTELIS

LIBER II.

SED cum duo sint virtutū genera, alterum earum quas in ratione esse dicimus, alterum earum quas morales & voluntarias: rationis quidem, magna ex parte à doctrina ortum accessionemq; habent. Itaque & exercitationis indigent & temporis. ἡ δ᾽ ἠθικὴ, id est moralis & voluntaria virtus, ἐξ ἔθους, id est more, à quo nomen duxit, quod paulum ἀπὸ τοῦ ἔθους deflexit, omnino comparatur. Ex quo perspicuum est, nullam omnino moralium virtutum ingenerari nobis natura. Nihil enim quod insitum & innatum est, aliter atq; est, assuescit. Vt lapis qui suapte sponte deorsum fertur, nunquam in sublime ferri assuescat, ne si millies quidem eum quis sursum vt consuefaciat, emittat. Eodemq; modo nec ignis deorsum, nec aliud quicquam aliter atque ipsius natura ferat, potest assuescere

Non igitur à natura, neque contra naturam in nobis insunt virtutes: sed nati facti q; sumus ad eas & percipiendas natura, & efficiendas consuetudine. Iam verò quæ nobis a natura tributa sunt, eorũ primùm facultates accipimus, deinde officiis muneribúsque fungimur. Quod in sensibus cernere licet. Neque enim ex eo quod crebrò aut aspeximus, aut audiuimus, sensus accepimus: contraq; eorum cùm iam essemus compotes, eis vsi sumus, non cùm vsi essemus, percepimus. At verò virtutes accipimus, antea cum operis aliquid confectũ dederimus. Quod in cæteris fit artibus. Quæ enim facienda sunt cum didicimus, ea tum cum agimus discimus maximè. Veluti homines tum architecti existunt maximè, cùm ædificant: & citharœdi, cùm fidibus vtuntur. Similiter tum iusti, temperantes, fortesq; efficimur maximè cũ ea facimus quæ iusta sunt, quæ modesta, quæ fortia. Atque etiam hoc ipsum declarat, & docet, quod fieri solet in Rebus publi. in quibus legislatores consuetudine & exercitatione, ciues bonos efficiunt. Est enim hæc omnium qui leges imponunt, sententia & voluntas. Quod qui minus rectè faciunt aberrant: quippe cùm hac vna re præstet vitiosæ bene constituta Respublic. Iam ex iisdem rebus oritur virtus omnis, & ab iisdem interit. Similis est ratio artium omnium. Nam ex eo quòd vtuntur fidibus, & clari & ignobiles citharœdi existunt. Eadem est ratio architectorum, reliquorumq; omnium. Nã ex ex eo quòd scitè & peritè ædificant, boni architecti futuri sunt: ex eo quod inscitè, mali. Quod ni ita se haberet, nec rationi vllus esset, nec doctrinæ locus: omnésque docti & indocti nascerentur. Eadémque omnium virtutum causa & sententia est. Nam cum ea faci

facimus quæ pactis continentur iis,quæ hominibus inter ipsos intercedunt,alij iusti,alij iniusti efficimur. Et cùm ea omnia quæ acerba molestáq; sunt,agimus,assuescimúsque aut timere,aut confidere,nonnulli fortes, quidã timidi ignauíque existunt. Eodémque modo de cupiditatibus & iracũdia iudicandũ est:quoniam alij temperantes & clementes,plerique intemperati & iracundi efficiuntur:hi,quia sic,illi, quia secus in iisdem versentur. Atque,vt vno verbo finiam,ex sui similibus actionibus omnes habitus oriuntur. Itaq; facienda sunt certo quodam genere actiones, quandoquidem earum differentias habitus consequuntur. Non igitur parui, sed magnopere,atq; adeò ad summam refert,vtrum sic,
2 *an secus iam inde à puero assuescamus. Quoniam igitur huic negotio quod suscepimus,non est proposita contẽplatio, quasi finis, vt cæteris (id enim agimus, non,vt quid virtus sit,intelligamus,sed vt boni efficiamur,quandoquidẽ vsus eius nullus foret) necesse est, quemadmodũ actiones & officia ducantur,considerare. In iis enim situm est,quemadmodũ dixi, vt habitus quales debent,oriantur. Ac illud quidem cõmune est omnium, idq; positum sit,recta rationi conuenienter fieri: deq; eo differetur posterius, & quid sit recta ratio, & quemadmodum affecta sit ad reliquas virtutes. Illud autem prius constare & conuenire debet, omnem quæ de rebus agendis habetur, orationem, populariter, non subtiliter tractari oportere: vtq; initiò diximus, rationes pro rei natura exigendas esse. Vt autem in rebus salubribus, sic in actionibus, iisq; omnibus quæ conducunt, nihil inest firmitatis, nihil stabilitatis, & roboris. Cúmque eiusmodi sit, quæ de genere toto habetur oratio, multo*

multò etiam minus certa est quæ de rebus singulis habetur, quoniam nec sub artem, nec sub præceptionem vllam cadunt. Sed vt in medicina & gubernatoris arte, sic iis omnibus qui in actione rerum versantur temporis habenda ratio est: quanquam autem id est quod nunc agimus eiusmodi, tamen danda omnino opera est vt alleuetur. Hoc igitur in primis intelligendum est, iis omnibus quæ sunt in hoc genere, ab eo quod nimium & parum est, interitum impendere natura. (perspicuis enim rebus ad obscuras illustrandas vtendum est.) Id quod licet in viribus & valetudine cernere: nam & profusæ & remissæ nimium exercitationes labefactant vires, euertuntq; funditus & poculenta ac esculenta, si modum transeant, vel infra modum adhibeantur, labefactant valetudinem eodem modo: sin moderata sint & modica pariunt, augent ac tuentur. Quod idem & in temperantia, & in fortitudine, cæterisq; virtutibus contingit. Qui enim fugit timetq; pericula omnia, quiq; nullum perfert, is timidus & ignauus euadit: & qui nullum timet omnino, sed adit omnia, is audax existit. Itemq; qui omnibus voluptatibus perfruitur, nullamq; prætermittit, intemperans: qui verò omnes prætermittit, & cauet, vt solent agrestes, is sensus omnis expers iudicandus est. Tollitur enim temperantia, tollitur fortitudo, ab eo quod nimium est & parũ. At verò saluæ sunt & incolumes mediocritate dominãte. Verùm non solùm ortus incrementaq; & interitus ex iisdem & ab iisdem efficiuntur, sed in iisdem etiam actiones versantur. Quemadmodũ enim aliis in rebus quæ euidentiores sunt, id contingit, veluti in viribus vt ex eo gignantur, quòd & multũ cibi capiatur, & multi labores ferantur, quod valens viribus efficere potest maximè

xime: sic in virtutibus. Nam & ex eo temperantes efficimur, quod nos à voluptatibus abstinemus: & cùm ij sumus ab iis facillimè abstinere possumus. Similis est ratio fortitudinis. Nam cum & ea quæ terribilia sunt despicere, & eadem magno animo ac forti perferre assuéscimus, cum fortes existimus, quales cùm sumus quæ
3 *terrorem afferunt, facillimè sustinemus. Habitus autem quales sint ex voluptate ac dolore, quæ facta & opera cõsequuntur, perspici debet. Nam qui se à corporis voluptatibus abstinet, eoq; ipso lætatur, is temperans: qui id molestè acerbeq; fert, is intemperãs putãdus est. Et qui molesta quæ sunt, forti ac magno animo perfert, ex eoq; voluptatem percipit, aut certe non fert grauiter, fortis: qui ægrè fert, is habẽdus ignauus. Virtus enim moralis ac voluntaria omnis inhæret voluptatibus ac doloribus. Nam & voluptatum blanditiis deliniti, ad ea gerenda omnia quæ praua sunt, impellimur: & dolorum cum admouentur faces, à rectè factis deducimur. Itaque Platonis sententia, institutos esse omnes oportet iam inde à puero, vt lætemur bonis rebus, doleamusq; contrariis. Recta est enim hæc educatio. Iam verò si in actionibus, & perturbationibus hærent virtutes: omnem autem perturbationem actionemq; omnem sequitur voluptas, aut dolor. ob eam certè causam virtus in voluptatibus doloribusq; versatur. Hoc etiam supplicia quæ ob eas sumuntur, indicant: medicinæ enim quædam sunt. At curationes ex dissimilibus contrariisq; rebus solent effici. Præterea habitus omnis animi, quemadmodum suprà dixi, quibus in rebus positum est, vt melior vel deterior gignatur, in iis vim suam omnem obtinet. A voluptatibus autem & doloribus habitus vitiosi nascuntur: propterea quòd ea*

quis

quis sequatur: aut caueat, vel quæ facienda fugiẽdaq́; non sint, vel quando, vel quomodo facienda non sint & cauenda: quæq́; sunt eiusdem generis, quæ ratio præscribat. Itaque virtutes vacuitates quasdam perturbationum, tranquillitatesq́; animi definiunt. Haud probè quidem, quòd omnino dicunt, nec adiungãt quomodo decet, aut quomodo non decet, & quando & cætera omnia quæ adduntur. Ergo hoc præponitur, virtutem, quæ in hoc genere est, in voluptatibus doloribusq́; versari, in eaq́; ad res optimas gerendas inesse momenta maxima: in vitio, contrà. Quod ex eo etiam perspici potest, quia cum tria sint quæ sequimur, & tria quæ declinamus, honestum, vtile, iucundum: & tria quæ superioribus contraria sint, turpe, inutile, molestum: cùm in iis omnibus vir bonus rectè se gerit, & improbus præposterè, tum vel maximè in voluptatibus. Nam & communis est animantium omnium, & ea omnia consequitur, quæ sub appetitionem cadunt. Etenim quicquid honestum, quicquid vtile, id omne iucundum. Præterea quoniam vna nobiscum iam inde ab incunabulis educata est, difficile factu est hanc perturbationem euellere omnino, quæ penitus in vita implicata insidet. Atque etiam actiones factaq́; nostra dirigimus voluptate & dolore, alij minus, alij magis. Ob eam igitur causam necesse est in his versari hoc nostrum institutum. Non enim in eo parua momenta sunt ad officia & actiones, si quis rectè aut improbè lætetur aut doleat. Præterea difficilius est, vt ait Heraclitus, voluptati obsistere, quàm iracundiæ. At semper vt quicque habet difficultatis & negotij plurimum, ita in eo potissimum ars omnis virtusq́; versatur. Quod enim vndique perfectum absolutumq́;

est, id

est, id ibi maiorem obtinet & splendorem & dignitatem. Quare ob eam etiam causam vt consistat necesse est in dolore ac voluptate omnis quæ de moribus & ciuili ratione instituitur disputatio. Nam qui his rectè vtetur, is vir bonus: qui peruersè, improbus futurus est. Atque hoc quidem iam confectum est, virtutem voluptatibus doloribusq́ue cõiungi: & quibus ex rebus gignitur, ab iis & augeri eam, & interire, si eodem modo nõ fiant: eandem à quibus rebus nata sit, in iis munus
4 *suum & officium exequi. Quæret autem aliquis, quid sit cur eos dicamus qui res iustas efficiant, iustos: qui modestas, temperantes existere oportere: præsertim cùm si res agant iustas, si modestas, iusti iam sint ac temperantes. Vt si qui grammatici musiciq́ue munere fungantur, ij grammatici sint & musici necesse est. At ne in artibus quidem ita fit. Fieri enim potest, vt quis quid præstet eorum quæ grammatici arte continentur, & fortuitò, & alterius præscripto. Ergo tum denique grammaticus erit, & si quid eorum quæ grãmatici propria sunt, & si grammaticè faciet: hoc est, si ab ea quæ in eo inest, arte grammatica proficiscatur. Iam artium ac virtutum non est eadem ratio, propterea quòd quæ ab artibus proficiscuntur, quoniam laus omnis & præstantia inclusa in iis ipsis est, satis sit ea certo quodam genere effici. At verò quæ virtute gerũtur, non si ea quodammodo affecta sint, continuò iustè, temperatéve efficiuntur, sed si is etiam qui faciat, quodammodo sit affectus: primùm, si sciens, deinde si volẽs, & vltro, idq́ue eorũ causa: tertiò, si firmo & stabili animo faciat. Quorũ præter scientiam, nihil artibus tenẽdis percipiẽdisq́ue requiritur. Ad virtutes verò cũ sciẽtia parũ aut nihil valet, tũ nõ parua, sed omnia momenta sunt in cæteris.*

Quæ

Quæ quidem consuetudine iustè moderateq; viuendi omnia comparantur. Ergo tum deniq; res iustæ ac modestæ dicuntur, cùm eiusmodi sunt, quales viri iusti tẽperantesq; agerent. Iustus autem & modestus is demũ est, non qui eas res gerat omnino: sed qui ita gerat, vt iusti & frugales faciunt. Hoc ergo verè dicũt, ex rectè temperateq; acta vita iustos moderatosq; viros effici. Quam vitam qui non traducat, is nunquã est futurus bonus: sed plerique cũ hæc non faciãt, ita denique se & probos fore, & philosophaturos putãt, si ad verba confugiant. Ii simile aliquid faciũt quod ægroti, qui medicos illi quidem libenter audiunt, ac diligẽter, sed nihil eorum quæ præscripta sunt, faciunt. Quemadmodum igitur illis nunquam bene habiturum est corpus, qui ita curantur: sic nec his animus, qui isto modo philosophantur.

5 *His expositis, deinceps videndum est, quid sit virtus. Quoniã igitur tria sunt in animo, perturbationes, facultates, habitus, ex his tribus vnum aliquid sit virtus necesse est. Perturbationes autẽ appello, vt cupiditatem, vt iram, vt excandescentia, timorem, audaciam, vt inuidiam, gaudiũ, amicitiam, vt odiũ, desiderium, æmulationem, misericordiã, & omnino ea omnia quæ vel voluptas consequitur, vel dolor. Facultates autẽ, quibus ad perturbationes accipiendas apti sumus, dicimus, vt per quas vel irasci possumus, vel dolere, vel misereri. Habitus verò sunt quibus probè vel malè affecti sumus in perturbationibus: velut cum irascimur si vehementius, vel parum, male: sin mediocriter, bene affecti sumus: itemq; in cæteris. Ac perturbationes quidem nec virtutes sunt, nec vitia, propterea quòd ex perturbationibus nec probi nec improbi nominamur, ex virtutibus & vitiis nominamur: quodq; perturbationes nobis*

nobis nec laudi dantur, nec vitio. Nec enim qui timet laudatur, aut qui irascitur: nec qui omnino irascitur, vituperatur: sed qui certo quodam modo. At verò propter virtutes, & vitia, iure laudamur, aut vituperamur. Iam irascimur, & timemus incõsultò: virtutes aut ipsa cõsilia sunt, aut res gesta cõsilio. Ad hæc perturbationibus moueri dicimur: virtutibus & vitiis non moueri, sed quodammodo affici dicimur: ob easq́; causas ne facultates quidem sunt. Neque enim eo vel boni dici mur, aut mali, quod omnino agere possumus, vel laudamur, vel vituperamur. Præterea facultate præditi sumus natura, boni vel improbi nõ sumus, quod suprà ostẽdimus. Quòd si nec perturbationes sunt virtutes, nec facultates, relinquitur vt sint habitus. Ac virtutis qui-
6 *dem quod sit genus, dictũ est. Dicendũ est autem nõ solum habitus esse virtutes, sed etiam quales sint. Hoc igitur cõfitendum est, virtutem om nem, in quo ipsa sit, eum probè affectum reddere, officiumq́;, ac munus eius probè exequi. Vt virtus oculi, & ipsum oculum integrum efficit, & munere illius rectè fungitur: virtute enim oculi probè cernimus: itemq́; virtus equi, equum generosum efficit, & ad cursum aptum, & ad vehendum eum qui insideat, ad expectandosq́; hostes idoneum. Quòd si ita est in omnibus, certè hominis vir tus habitus erit, quo & bonus homo efficitur, & officio suo ac munere probe fungitur. Hoc quemadmodum futurum sit, & iam diximus, & nunc ita denique perspici poterit, si qualis eius sit natura etiam atque etiã considerabimus. Licet quidem in omni natura cohærente, & continuata, quæq́; secari potest & diuidi, & quod præstat, notare, & quod superatur, & quod æquale est: idq́; vel pro rei natura, vel nostro more.*

Æquale autem dicitur id, quod mediũ est inter rem quæ præstat: & eam quæ vincitur. Rei autem medium appello id, quod æquè abest ab vtraq; extremitate: idq; apud omnes vnum idemq; valet, & efficit. Nostra autem ratione id medium est, quod nec transit modũ, nec deserit, nec vnum idemq; apud omnes valet. Vt si decẽ nimium multa sunt, duo non satis, capiant sex pro rei medio. Æquè enim superant, atque superantur. Hoc autẽ medium, à proportione arithmetica ducitur. At quod nobis medium est, non ita sumitur. Nõ enim si cui decem minas edere nimium sit, duas parum, sex minas, magister ludi præscripserit. Est enim hoc fortasse nimium vel parum, ei qui capiat: vt Miloni parũ, tyroni nimium. Eadem est & cursus ratio, & luctæ. Ita nimium, & parum artifices omnes vitant, mediocritatẽ & exquirunt, & persequuntur: ac mediocritatem non rei quidem, sed quæ à nobis ducitur. Quòd si ars omnis & scientia ita denique præclarè suum munus exequitur, & absoluit, si mediocritatem intuetur, ad eamq; sua opera omnia refert (hinc solent de operibus iis, quæ perfecta sunt, & absoluta, prædicare: nec iis detrahi quicquam nec addi posse, quia nimiũ & parũ, omnem præstãtiam, laudemq; artis labefactet, conseruetq; mediocritas) clari autẽ artifices eò, vt dixi, opera sua referunt: & vt natura sic certior est dux virtus, præstãtiorq;, quàm ars omnis: profectò mediocritatis ea sit indagatrix, necesse est. De ea loquor, quæ voluntate ac more suscipitur, quæ in perturbationibus, actionibusq; consistit, in quibus est; & nimium, & parũ, & mediocritas: vt & timere, & confidere, & concupiscere, & irasci, & misereri, & omnino gaudere, & dolere possumus & nimium, & parum: quorum vtrunq; non re-

ctè

ctè fit. At verò, quãdo, quibus de causis, quibusq́; rebus decet, cuiusq́; rei causa, & quomodo aequum est hac facere omnia, perfectum quiddam est, ac optimum: quod quidem in virtute situ est. Itemq́; in actionibus & officiis, nimiũ & parũ versantur, & mediocritas: At virtus in perturbationibus actionibusq́; cõnectitur: in quibus & nimiũ, & parum in vitio est, mediocritas in laude, & rectè factis, quae duo, virtutis sunt maximè propria. Est igitur mediocritas, quaedã virtus, cùm medij & perfecti sit indagatrix. Iam peccare licet multis modis, quoniam vt Pythagorei conijciebãt, malum infinitum, incertumq́; est, bonum, certũ atq; finitũ. At verò, rectè facere vno modo licet. Itaque illud facile, hoc difficile est. Nam & à signo discedere, facile est, & ipsum attingere, magni negotij. Ob eamq́; causam, nimium, & parũ, in vitio est, mediocritas in virtute. Boni enim vno modo efficimur, mali, modis omnibus. Est igitur virtus, habitus animi iudicio susceptus, in mediocritate positus, ea quae nos attingit, ratione sic rectus, vt prudens praescripserit. Mediocritas autem, duorũ vitiorum est: quorum alterum, eo quòd superat, alterum eo quòd parũ est, cernitur: idq́;, vel ob id maximè, quòd alia vitia in perturbationibus & actionibus, decorum modumq́; transeant, alia ab eo deficiant: in quibus virtus, & inuenit, & seruat mediocritatem. Quocirca, virtus natura sua, & definitione, qua quid esset, explicatũ est, mediocritas intelligitur, rei optimae perfectaeq́; ratione extremitas. Sed non omni actioni, & perturbationi, modus adhiberi, & apponi potest. Sunt enim quaedam, quae nomine suo vitiosa declarari videtur, vt maleuolentia, vt imprudentia, vt inuidia, & in factis, vt adulteriũ, furtum, cades. Haec enim omnia, quaeq́; sunt eiusdẽ generis,

ipsa per se vitiosa dicuntur: nõ eorum immensi nimium, aut parum magni progressus. Nunquam igitur in rectè factis, esse hæc possunt, sed sunt semper in vitio: nec in his talibus, illud rectè, aut non rectè, versatur, adulterando, vel quando, vel quemadmodum opus est: sed absolutè quiduis eorum facere, vitiosum est. Quamobrem nihil interest, vtrum quis moderatam iniustitiam, moderatam ignauiam, moderatam intemperantiam, quærat: an immoderatas eas, & nimium paruas. Nam isto quidem modo, & ei quod modum transit, cumq; deserit, modum apponere licebit: & ei quod vltra modum progreditur, id quod modum superat: & ei quod parum est, id quod parum est. Vt igitur temperantiæ, & fortitudinis, nec nimium est, nec parũ, propterea quòd mediocritas quodamodo in summo sita est: sic istorum modus nullus est: nec nimium, nec parum: sed vt quicq; gestum est, ita est in vitio. Omnino enim, nec eius quod nimium est, & parum, modus vllus est: nec mediocritatis nimium & parum. Hæc autem non solum de ge-
7 nere toto virtutum dicenda sunt, sed ad singulas etiam conuenit accommodare. Omnium enim disputationum, quæ de actionibus, officiisq; instituuntur, ea quæ ad genus vniuersum accommodantur, latissimè patent: quæ autẽ ad partes, ad veritatem propius accedunt. In singulis enim rebus, actiones & officia versantur, quibus debet respondere oratio. Hæc igitur ex subiecta sunt descriptione capienda. Ac in metu quidem, & confidentia, fortitudo, mediocritas est. Eorum autem, qui modũ trãseũt, qui timoris quidẽ vacuitate exuperat, vacat nomine: (sũt autẽ multa vacãtia nomine:) qui autẽ cõfidẽtia impulsus, modũ egreditur, audax, cõfidẽsq; nominatur. At qui nimium timet, parumq; confidit,

ignauus

ignauus dicitur. In voluptatibus autẽ, & doloribus non omnibus quidem, sed ad corpus pertinentibus, iisq; potissimum, quæ tactu percipiuntur, minus etiam in doloribus, modus est, temperantia: nimium, intemperantia. Qui porro à voluptatibus nimium abhorreant, nõ admodum multi reperiuntur, vt ne nomen quidem habuerint. Appellentur sanè omnis sensus expertes. Iam in dandis accipiendisq; pecuniis mediocritas, liberalitas dicitur: quæ modum transit, prodigalitas: quæ ab eo deficit, auaritia, & illiberalitas. Contrarioq; modo, in iis vltra modum progrediuntur, ab eoq; deficiunt. Prodigus enim largiendo, modum transit: & accipiendo, abest ab eodem. At verò, auarus in accipiẽdo, nimius est, in dando, parcus. Atque hæc quidem, nũc populariter ac summatim exponimus, hoc ipso contenti: post disseremus subtilius. Versantur etiam in pecuniis aliæ affectiones, quarum mediocritas, magnificẽtia nominatur. Nam inter magnificũ & liberalem, hoc interest, quod ille in magnis, hîc in paruis cernitur. Nimiũ, ἀπειροκαλία καὶ βαναυσία: parum μικροπρέπεια dicitur: differũtq; ab iis, quæ sunt liberalitatis. Quid autem differant, posterius docebimus. Porro in honore, & infamia mediocritas, magnitudo animi appellatur: exuperantia, elatio animi, defectio, paruus pusillusq; animus. Quam autẽ rationem liberalitatem ad magnificentiam habere docuimus, paruis differentem, eandem habet ad magnitudinem animi, quæ in magnis honoribus versatur, alia quæ in paruo honore cernitur. Licet enim & vt decet honorem gloriamq; expetere, & nimium & parum. Qui nimia cupiditate ducitur gloriæ, is ambitiosus: qui nõ satis, vacuus ab honoris cupiditate appellatur: at qui modũ tenet, vacat nomine. Atque etiam

affectionibus, nullum nomen impositum est, nisi quòd ambitiosi, propria est ambitio. Hinc extremi de vacua regione, quæ intra fines eorum quasi media locata est, iudicio disceptāt: estq; cum nos, eum qui modum tenet, ambitiosum: est cum eundem, abhorrentē ab omni honore, nominemus. Atque aliàs ambitiosum laudamus, aliàs eū, qui nullo honoris studio tenetur. Quod quam ob rem faciamus, deinceps explicabimus. Nunc nostro more disseramus de cæteris. Atque etiam in ira exuperantia est, defectio, & mediocritas. Cumq; eorum non ferè extent nomina, eum qui modū tenet, clemētem, & mediocritatem, clementiā, mansuetudinemq; nominamus. Extremorū is qui vltra modum progreditur, iracundus, & vitium, iracundia appellatur. Qui autem parum irascitur, lentus, vitium, lētitudo dicitur. Sunt etiā tres aliæ mediocritates, finitimæ omnino, sed tamē inter se differunt aliquid. Nam cùm in sermonū, actionumq; societate versentur, hoc tamen differunt, quòd vna, in veritate, aliæ duæ, in vitæ iucūditate cernūtur. Atque huius quidē iucunditatis pars altera, ludis tribuitur, altera, omnibus rebus, iis quæ vitā attingunt humanam. Quamobrem de his etiam nobis dicendum est, quò facilius in omnibus ferè rebus, mediocritatem esse laudabilem perspiciamus, & extrema, nec recta, nec laudanda, quin etiam vituperanda. Et quāquam permulta sint eorū vacantia nomine, tamen dāda opera est, vt iis, sicut aliis, nomina imponamus, quo & res dilucidior sit, & nos facilius consentanea dicamus. Igitur in veritate qui modum adhibet, verax, & habitus veritas dicitur. Simulatio si in maius progrediatur, arrogantia: & qui eam habet, arrogans: Sin sua nimium extenuet, ipsa affectio dissimulationis: & qui ea præditus

tus est, dissimulatoris nomine, & crimine notandus. In iucunditate porro, quæ ad lusum accõmodatur, qui modum quendam adhibet, is comis seu vrbanus habendus est, & affectio, comitas & vrbanitas: at quæ modum egreditur scurrilitas: & in quo ipsa inest, scurra dicitur. Qui verò omnino à ludo abhorret, is agrestis & rusticus, affectio ipsa rusticitas habẽda est. Quod autẽ attinet ad reliquam iucũditatẽ, eam quæ in vita adhibetur, qui ita se iucundũ præbet, vt ratio postulat, is facilis: & mediocritas, facilitas dicitur. Qui modũ egreditur: si nulla causa ductus, affabilis: si emolumenti sui causa, assentator habẽdus est. At qui omnino abhorret disceditq; à modo & ratione, seq; tristem rebus omnibus præbet, is morosus & difficilis putandus est. Atque etiam in perturbationibus, iisq; rebus omnibus, quæ in perturbationibus versantur, mediocritates reperiuntur. Verecundia enim nõ est illa quidẽ virtus: attamen qui pudore afficitur, verè laudari solet. Nam his in rebus alius modũ apponit, alius eũ transit: vt pauidus, qui omni ex re pudore afficitur: tertius, qui a modo deficit, nullaq; ex re omnino pudore afficitur, impudens: qui autem modum adhibet, is pudens, & verecũdus dicitur. Indignatio verò, mediocritas est inuidiæ, & maleuolentiæ. Cernũtur autẽ in iis ægritudinibus & voluptatibus omnibus, quæ ob eas res suscipiuntur; quæ proximis eueniunt. Qui enim indignatur, is dolet illorum rebus secũdis, qui iniuria iis fruũtur. Inuidus hũc vincens, dolet rebus omnibus. At maleuolus tantum abest ab eo, vt doleat, vt etiam capiat voluptatẽ. Sed de his quidem alius est mihi ad dicendum constitutus locus. De iustitia autem quando non vno modo dicitur, deinceps diuisione adhibita, quemadmodum mediocritates

vtraquæ sint, disseremus, itemq́; de virtutibus: quæ rationi attributæ sunt. 8 *Cùm autem tres sint affectiones, duæ vitiosæ, quarum vna immoderata est, altera modo deest, & vna virtus in mediocritate posita, sunt illæ omnes inter se quodãmodo cõtrariæ. Nam extremæ, & mediæ, affectioni sunt, & inter se contrariæ, & media extremis. Quemadmodum enim si id quod æquale est, cum re minore comparetur, maius est: sin cum maiore, minus: sic medij habitus, si cum iis qui absunt à modo, conferantur, superant: si cum iis qui modum transeunt, deficiunt & in perturbationibus, & in actionibus. Fortis enim si cum ignauo conferatur, audax & fidens: si cum audaci viro, ignauus timidusq́; videatur. Itemq́; temperans, si cum homine qui omnis sensus sit expers, intemperans: sin cum intemperante, nullius sensus videbitur particeps. Et liberalis, cũ auaro cõparatus, prodigus: cum prodigo, auarus habebitur. Ideoq́; declinãt à se ac protrudũt extremi medium, vterq́; ad alterum: appellantq́; fortem virũ, audax quidem ignauũ, ignauus audacem. Eademq́; est ratio cæterorum. Hæc cum ita sint inter se contraria, maior quædam extremorum inter ipsos quàm cum medio, repugnantia est: quandoquidẽ longiùs absunt, alter ab altero, quàm vterque à medio. quemadmodum res magna, à parua longius abest, & parua, à magna, quàm vtraque ab æquali. Iam quædam extrema ad mediũ videntur quadã similitudine accedere, vt audacia ad fortitudinẽ auaritia, ad liberalitatem. Extremis autẽ inter ipsos dissimilitudo maxima est. At ea quæ plurimùm differunt, contraria definiũtur. Ita fit, vt magis etiã inter se cõtraria sint, quæ plus distant. Medio autem in nonnullis repugnat magis parum, in quibusdã, nimium. Vt magis est forti-*

titudini contraria, non audacia quidem quæ modum transit: sed ignauia, quæ à modo, & ratione deficit. Et temperantiæ non sensus priuatio, & vacuitas, cum sit defectio: sed intẽperantia, quæ exuperãtia est. Id quod ob duas causas accidit: vna, quæ ex rei ipsius natura ducitur. Nã quia propius est, atq; similius alterũ extremum medio, idcirco non ipsum, sed contrariũ magis opponimus. Veluti quoniam similior est ac vicinior audacia fortitudini, dissimilior ignauia, ideò hanc magis opponimus. Quæ enim plus absunt à medio, eadem ipsi magis repugnant. Atque hæc quidẽ causa ex rei natura sumpta est: à nobis ducta est altera. Nã quas ad res sumus procliuiores natura, eæ sunt medio magis cõtrariæ: vt quia propensiores sumus ad voluptates natura, idcirco ad intemperantiã sumus, quàm ad modestiam procliuiores. Quapropter ea magis contraria dicimus ad quæ maior est accessio: ob eamq; causam, magis est intemperantia, quæ exuperantia est, contraria temperantiæ.

9 *Satis dictum esse arbitror, virtutem eam, quæ more ac voluntate suscipitur, esse mediocritatem, quoq; modo esset: ac mediocritatem quidem esse inter duo vitia, id est nimium & parum: eamq; talem esse, propterea quòd indagatrix esset modi eius, qui in perturbationibus, actionibusq; reperiretur. Quocirca difficile est in quaque re excellere: nec enim quicquam difficilius, quàm reperire in omni re, quod sit omni ex parte perfectum. Vt circuli medium non cuiuslibet est, sed periti tantummodo reperire: itemq; irasci quiuis potest, largiri pecunias, sumptusq; facere, idq; facilè: at verò irasci, & largiri pecuniam, cui rectum est, & quantum, quãdo, qua de causa, quoq; modo irascendũ, dandumq; est, nec cuiusuis est, nec facilè. Quapropter omnia præ-*

clara, rara, laudabilia, & pulchra. Quare omnes qui mediocritatem inuestigant, & exquirunt: primùm ab eo debent, quod magis ei contrariũ est, discedere: quemadmodum Calypso monebat,

Tu procul à fumoq; regas, vndisq; carinam.

Extremorũ enim alterum, grauius peccatũ est, leuius, alterum. Quoniam igitur modum tenere difficillimum est, secunda, vt aiunt, nauigatione minimum malũ est eligendum. Quod fiet ea potissimum ratione, quam docebamus. Videndum est etiam diligenter, quæ ad vitia simus procliuiores. Alij enim ad alia, natura procliues sumus. Quod facile ex ea voluptate & ægritudine, quæ nobis accidit, intelligemus. Se autem quisque ab ea in contrariam partem debet deducere. Longè enim à delinquendo abducti, veniemus ad mediocritatem. Quod quidem faciunt ij, qui ligna contorta in rectum dirigunt. In omni autem negotio, cùm id omne quod voluptatem efficit, tum vel maximè, vitanda voluptas est: quippe de qua non veniamus incorrupti ad iudicandum. Quocirca quo animo senes illi erga Helenen affecti fuerunt, eodem nos esse debemus erga voluptatẽ, ad omnemq; rationem illorum, vox accomodanda est: sic enim dimissa illa, & abiecta, minus aberrabimus. Vt ergo rem in pauca conferam, hæc si faciemus, facillimè poterimus & consequi & seruare mediocritatem. Arduum hoc profectò, præsertim in rebus singulis. Neque enim facile est explicare oratione, quonam modo, quibus hominibus, quibus de causis, & quandiu sit irascendum. Nos enim interdum homines eos, qui minus succensent, quàm deceat, laudamus: clementesq; appellamus: interdum iratos, viros dicimus. Sed qui paulũ aliquid decorum egreditur, non est in vitio: qui autem

long

longiùs euagatur, is quoniam minimè latère potest, nō curet reprehensione. Atq; is, qui vituperādus est, quatenus, quantumq́ sit, non est facile oratione consequi, nec quicquam eorum, quæ sub sensum cadunt: quippe cùm in rebus singulis consistant hæc omnia, & omne de his rebus sensus sit iudicium: ergo iam hoc quidem perspicuum est, perfectum & medium habitum in rebus omnibus esse laudabilem: deflectendumq́ esse, nunc ad id, quod nimium est, nunc ad id, quod parum. Sic enim quod rectum perfectumq́ sit, id nos facillimè esse consecuturos.

ETHICORVM ARISTOTELIS
LIBER III.

SED *quoniam virtus in perturbationibus, actionibusq́ inhæret, ac in iis rebus quæ voluntate suscipiuntur, laudi & vitio locus relinquitur: in non voluntariis, veniæ interdum, etiam misericordiæ: profectò explicanda vis est, ratioq́ earum rerum, quæ & voluntate, & contra voluntatem fiunt, iis præsertim, qui in virtutis cognitione, versantur: quæ explicatio conditoribus etiam legum ad honores decernendos, constituendasq́ pœnas vtilis est. Sunt igitur ea non voluntaria, quæ vi fiunt, aut imprudentia: vi autem id fit, cuius causa, & principium extrinsecus eiusmodi, adhibetur: ad quod nihil adiumenti afferat is, qui illud facit, aut patitur: vt si quò vētus impulerit, aut potētes homines. At verò quæ metu maiorum malorum, aut honesti causa fiunt, velut si quis tyrannus dominus, parentum & liberorum, proponat turpe aliquid eis faciendum, hac lege,*

vt si

vt si faciant, incolumes sint ac salui: sin minus, interficiantur: vtrum sponte an inuiti faciant, magna est quæstio. Eadem est etiam ratio iacturarum, quæ fiunt cùm tempestates oriuntur. Omnino enim voluntate sua, nemo iaciat: salutis autẽ suæ ac cæterorũ causa, omnes, qui quidem sana mente sint. Sunt igitur mixtæ huiusmodi actiones, illæ quidem, sed voluntariis similiores. Expetendæ enim sunt tũ cũ geruntur: atqui finis actionis in tẽporis conditione ac ratione posita est: volũtaria igitur, ac non voluntaria cum agit, dicenda est actio. At spõte facit, quippe in quo principiũ positum sit commouendarum partium, quæ actionibus eiusmodi perficiendis, quasi instrumenta adhibentur. Quarum autem rerum in quoq; sunt posita principia, eas vt agat & non agat in eo sitũ est. Sunt igitur hæc talia voluntatis. At non sunt profectò voluntatis omnino: quandoquidem nemo quicquam eorũ per se expetit. Dantur autem interdum laudi hæc ipsa, cùm homines magnarũ ac præstantium rerũ causa, turpe aliquid aut triste perferũt: si contra faciant, vituperantur. Quæ enim ipsa fœdissima sunt, ea rei nullius præclaræ & honestæ, aut certè mediocris causa sustinere, est in vitio. Sũt autem quædam in quibus laudi locus nullus relinquitur, sed veniæ duntaxat: cùm ea quis facit, quæ non sunt facienda, iis impulsus omnibus, quæ & humanam naturam, longè multumq; superant, & nemo possit sustinere. Sunt autẽ quædam certè partim ita fœda, partim ita flagitiosa, vt nemo ad ea impelli iure possit: potiusq; oppetenda mors est grauissimis toleratis cruciatibus. Etenim ridicula vidẽtur ea quæ ad cædem maternã Alcmæona Euripidis impulerunt. Difficile autem est interdum, quid cui præponendũ sit, quidq; pro quo perferẽdum, iudicare.

Diff

Difficilius etiam eſt ſtare in eo, quod ſit iudicatum. Fere enim & quæ expectantur, moleſta interueniunt: & quæ impellunt, turpia. Hinc laudem, & reprehēſionem qui inducti ſunt, aut non inducti, conſequuntur. Quæ igitur vi dicenda ſunt fieri? An omninò cùm cauſa extrinſecus eſt, & qui facit, nihil adiuuat? Quæ autē per ſe ſunt, non voluntaria: per occaſionem verò, horum cauſa expetenda, eorumq́; in eo qui agit, principia incluſa, ſunt genere non voluntaria ſunt: tempore horumq́; cauſa voluntaria, potiusq́; accedunt ad voluntariorum naturā: quippe cùm in rebus ſingulis, quæ voluntate geruntur, actiones, factaq́; verſentur. Quid autem cui ſit anteponendum, nō eſt facile exponere. Multæ enim ſunt rerum ſingularum differentiæ, ac diſſimilitudines. Quod ſi quis iucunda quæ ſunt, & moleſta, violenta dixerit, quod cum extra ſint, vim adferās, & cogant: eadem ratione, violenta ei ſunt futura omnia. Horum enim cauſa, omnes omnia faciunt. Qui vi quidem coacti inuitiq́; faciunt quippiam, iis moleſtiā: qui iucunditatē ſequuntur, iis malum affert cum voluptate. Atqui ridiculū eſt ea accuſare, quæ externa ſunt: nō ſe ipſum potius, qui à rebus eiuſmodi facilè capiatur: resq́; præclaras ſibi, fœdas & turpes attribuere voluptati. Hoc igitur iam quidem apparet, vi id fieri, cuius principiū cùm extra ſit, nihil id cui vis infertur, adiuuat. Quod autē fit imprudentia, non eſt omne voluntarium: at quod eſt non voluntarium, idem moleſtum eſt, & cauſas affert pœnitentiæ. Nam qui imprudens fecerit quidlibet, nec ſe id egiſſe moleſtè ferat, non fecit ille quidem ſponte quod ignorauit: nec rurſum inuitus, cùm minus ægrè ferat. Eorum igitur qui per imprudentiam aliquid faciunt, is quidem quem facti pœnitet, inuitus:

quem non pœnitet, quoniam alius diuersusq; ab illo est, appelletur sanè nõ volens: quoniam enim ab altero differt, aptius est habere nomen. Aliud etiã est imprudentia facere, aliud imprudentem. Non enim ebriosus & iracundus videtur quæ facit, errore & imprudẽtia ductus facere, sed ob aliquid eorũ quæ diximus: nec sciens, sed imprudens. Ac ignorant quidem improbi omnes, quæ facienda sunt, quæq; fugienda: iniustiq;, & omnino mali ex eo errore nascuntur. Nec si quis quod vtile sit ignoret, quod aget, dicatur non voluntarium. Neq; enim, aut imprudentia & ignorantia ea, quæ ab animo & voluntate suscipitur, & proficiscitur, non voluntarij causa est, sed peccati, aut etiam rerum vniuersarum, quandoquidem ea culpatur, sed rerum singularum, in quibus omnis versatur actio. In his enim locus est & venia & misericordiæ: quoniam qui eorum aliquid ignorat, facit inuitus. Sed non alienum est, quæ, quotq; sint exponere. Vidẽdum igitur, quisnã, quidq; agat quisq;, & qua in re versetur actio: interdũ etiam quo quasi instrumento, cuiusq; rei causa, vt salutis: & quo tandem modo, an remisse, an vehementer. Atq; hæc quidem omnia nemo ignorare possit, modo ne sit insanus. Perspicuum id quidẽ est, de eo qui agat: quoniam qui se ignorabit ipsum? Quid autem agat, aliquis ignoret, vt cum sibi aiunt excidisse, aut se nescisse occulta & arcana esse, vt Aeschylus mysteria: aut cum vellet mõstrare, misisse telum, vt is qui catapultam, putet etiam aliquis filium hostem esse, vt Merope; & hastam orbicularis figuræ, quæ lancea in formam directa sit: & lapidẽ esse pumicẽ, & interficiat qui salutis causa ferit: & qui docere velit, verberet, vt faciunt ij qui extremis manibus luctantur. Cùm igitur in his omnibus error &

imprudētia versetur, in quibus actio: cùm is qui eorum aliquid ignorabit, fecisse videbitur inuitus, tū qui eorum ignarus erit, quæ principatum obtinet. Principatum autem tenent, finis, & in quibus cernitur actio. Et quanquam ex illa ignoratione & imprudentia, quod est non voluntarium, omne nominetur, tamen debet esse præterea molesta actio, & pœnitentiæ plena. Quoniā autem quod est non voluntarium, est quod vi fit, & imprudentia: voluntariū esse videatur id, cuius in se principium continet is, qui scit res singulas, in quibus actio versetur. Profectò enim non rectè dicuntur non voluntaria esse, ea, quæ vel ira fiunt, vel cupiditate. Primùm enim nullū aliud animal, neq; puer, sponte faciet. Deinde quæro, vtrum nihil omnino eorum, quæ ira vel cupiditate impulsi facimus, sponte, ac voluntate nostra facimus? an verò honesta quæ sunt, volūtate, quæ turpia inuiti? an non id ridiculum sit, cū præsertim vna sit eorum causa? Absurdum etiam sit, non volūtaria dicere ea, quorum teneri cupiditate decet. Atqui decet, & cō moueri quibusdam in rebus, & nonnullarum duci cupiditate, vt valetudinis, atq; doctrinæ. Satis enim cōstat, ea molestiam afferre omnia, quæ inuiti facimus: quæ verò cupidè & studiosè oblectationem habēt. Iam verò quid interest, vtrum non voluntate fiant, eáne in quibus ratione, an in quibus ira peccatur? Vtraq; enim fugienda sunt, nec minus videntur esse hominis propria, quæ sine ratione sunt perturbationes. Atqui actiones hominis, vel ab ira, vel à cupiditate proficiscuntur,
2 *quas absurdum est in non voluntariis ponere. Expositis iis quæ & voluntate, & inuiti homines faciunt, sequitur vt de consilio seu electione dicendū esse videatur. Nam & virtuti coniuncta est maximè, & mores,*

magis

magis quàm actiones, ipsa distinguere videtur. Electio igitur est illa quidem voluntaria, sed tamen non idem quod volũtarium: idq; adeò, quod voluntariũ est, patet latius. Eius enim quod sponte fit, & pueri sunt, & beluæ participes: consilij non sunt, nec electionis. Nec mihi quidem rectè videntur dicere ij, qui cõsilium siue electionem, vel cupiditatem, aiunt esse, vel iram, vel volũtatem, vel quandam opinionem. Non enim communis eorum etiam electio est, quæ sunt expertia rationis: cupiditas & ira sunt: & impotentes cupiditate, non ratione aut consilio ducuntur ad agendum: contraq; continentes iudicio & ratione, non cupiditate ac libidine. Præterea consilio contraria cupiditas est, cupiditati cupiditas non est. Cupiditas etiam voluptatis est, & ægritudinis: consiliũ, nec voluptatis, nec ægritudinis. Multò etiam minus ira, quoniam minimè vidẽtur, quæ per iram fiunt, consultò fieri. Nec voluntas quidẽ, etiamsi ad eam proximè accedere videatur. Institutũ enim ac consilium non est eorum, quæ fieri nequeunt: quòd si quis hæc sibi proposita esse dicat, insanus esse videatur. At voluntas in iis etiam quæ fieri nõ possunt, vt in immortalitate, versatur. At voluntas in iis etiã cernitur, quæ ipsa à nemine vnquam per se gerentur: vt aliquis vult histrionem quendã, athletamq; vincere. At nemo hæc talia suscipit, sed ea omnia, quæ à se putat posse administrari. Iam verò finem potius spectat volũtas: cõsilium, & susceptio, ea, quæ ad finem pertinent. Vt valere volumus, deligimus autẽ quibus valetudinẽ adipiscamur: & beati esse omnes volumus, idq; prædicamus: at illud, nobis propositum esse, prædicare ac præ nobis ferre non decet. Omnino enim in rebus iis versatur consilium, quæ sunt in nostra potestate. Nec opinio

quidem

quidem certè esse posit, quoniã in rebus omnibus cernitur opinio: nec minus æternis, & quæ fieri non possunt, quàm iis quæ in nobis sitæ sunt. Præterea in falsam ac veram diuiditur opinio, non in malam & bonã: in quibus institutum & consilium potius cernitur. Non igitur idem est quod opinio omnino, nec id fortè quisquam asserit. Nec verò idem est, quod quædam opinio. Cum enim bona vel mala quæ sunt, nobis ad faciẽdum proponimus, tum quodammodo affecti sumus: cum sumus in opinione, non sumus. Et cõstituimus vel assequi, vel declinare, & si qua sunt eius generis. At quid quicq; sit, quamq; ad rem cõducat, & quemadmodũ conducat, existimamus: assequendũ autẽ aliquid, aut vitandum, non admodum opinamur. Præterea institutũ laudatur, quòd sit eius rei, quæ honesta est, vel quòd rectũ sit: at opinio, quòd sit vera. Atque ea deligimus, quæ scimus optima: ea opinamur, quæ non certò scimus. Nec iidem videntur sequi & iudicare, quæ sunt optima: nonnulliq; sunt, qui optimè sentiant, sed victi cupiditatibus & vitiis, quæ mala sunt, sequuntur. Nec verò, vtrum antecedat opinio, ac iudiciũ id, quod statuitur, an cõsequatur, quicquam interest: non enim id agimus, sed vtrum sit idẽ quod aliqua opinio. Quid igitur, aut quale est institutũ & consilium, quandoquidẽ in nullo est superiorum? Ac illud quidem apparet, volũtate ac iudicio suscipi: nec tamen quicquid volũtarium est, id omne etiam deligendum est, nisi cùm antegressa est deliberatio. Nam cum ratione & mente coniunctũ omne consilium est, id est προαίρεσις, quod etiam nomen significat. προαίρεσις enim, id est præpositum, ex eo appel-
3 latum est, quod præponatur aliis. Consultant autem homines, vtrum in deliberationem cadãt omnia, an de

quibusdam non capiatur consilium. Cui quæstioni sanè respondendum est, cadere in deliberationem, non ea de quibus stultus aliquis vel insanus deliberet, sed de quibus solent ij, qui sana mente sint. Sed de rebus æternis nemo consultat, vt de mundo, de diametri, laterisq; dimetiendi ratione. Nec de iis quidem, quæ motu continentur, quæ quidem, semper eodem modo eueniunt, siue necessitate, siue natura, aut alia aliqua causa, cuiusmodi sunt solis conuersiones & ortus. Eodem modo de iis iudicandum est, quæ aliàs aliter eueniunt, in quo sunt genere siccitates, & imbres. Nec verò aut ea, quæ casibus fortunæ subiecta sunt, qualis est thesauri inuentio, aut res omnes quæ naturam attingũt humanã, cadunt in deliberationem. Neque enim quemadmodum optimè Rempub. Scythæ administrare possint, Lacedæmonij deliberant: nihil enim eorum per nos fieri potest. At de iis consilium capimus, quæ sunt in nostra potestate vt eueniant, quoniam illa sola reliqua sunt. Causæ enim sunt, vel natura, vel necessitas, vel fortuna, præterea mens, & quicquid ab homine geri potest. Singuli autem homines, de iis deliberant, quæ per se ipsi efficere possunt. Nec verò de artibus, ac scientiis iis, quæ certæ sunt, & se ipsæ contentæ, vllum consilium capitur: quales sunt literæ, quæ quónam modo scribẽdæ sint, minime dubitamus. Sed quæ à nobis effici possunt, non autem semper eodem modo, ea demum cadunt in deliberationem: vt ea quæ medicina, numulariorum & gubernatoris artes tractant potius, quàm quæ gymnastice, quominus certæ sunt. Similis est ratio cæterarum. Sed sæpius in deliberationem cadunt ea quæ ab artibus, quàm quæ à sciẽtiis proficiscuntur, propter eà quòd magis ea veniunt nobis in dubium. Consilij

autem

autem capiendi deliberatio partim in iis rebus cernitur, quæ plerunque eueniũt, cum incertum sit quàm in partem inclinare ac euenire debeant: partim in iis quæ infinita incertaq́ sunt. Ad res autẽ magnas eligendas homines in consilium adhibemus, nobis ipsi diffisi, quasi minus ad statuendũ simus idonei. Deliberamus autẽ nõ de finibus, sed de iis quæ ad fines pertinẽt. Neque enim aut medicus an curet, consultat, aut orator an persuadeat: vel ciuilis officij peritus, an bonas leges cõdat: vel alij artifices, de eo quem sibi proposuere finem: sed omnes propositum sibi finem, quemadmodum, & quibus rebus assequantur, inquirũt. Quòd si compluribus ad eum rationibus perueniri posse constet, tum qua facillimè & optimè possit, inuestigant. Sin vna via perfici queat, quemadmodum per hanc assequantur, considerant: ad illamq́ per quam perueniant, dum ad primam causam ventum sit, quæ in inueniendo postrema est. Nam qui capit consilium, is inquirere ac retexere eo ordine solet, quo Geometræ in tabula, quam vocant diagramma. Illud autem apparet, nõ omnem quæstionem esse deliberationem, cuiusmodi sunt Mathematicorum quæstiones: deliberationem verò omnem esse quæstionem. Etiam illud apparet quod in retexendo postremum est, id primum esse in agendo. Quòd si in tale aliquid inciderint, quod fieri nequeat, velut si pecuniis sit opus, nec possint alicunde suppetere, tum à re proposita se abstrahunt: sin autem fieri posse constiterit, tum omnes neruos intendunt, vt efficiant. Atque ea fieri possunt, quæ à nobis possunt effici. Nam quæ amicorum opera curantur, per nos fiunt quodammodo, quia principium in nobis situm est. Quæruntur autẽ aliàs instrumẽta, aliàs vsus eorum,

itemq; in reliquis: interdum quæ tãdem re, aut quibus, aliquando qua ratione res confici queat. Atque homo videtur, quemadmodum dixi, principiũ esse actionum: consilium autem in iis versari, quæ ab eo agi possunt. At actiones aliorum causa sunt, alioq; referũtur. Nunquam igitur cadet in deliberationẽ finis, sed ad ea dũtaxat quæ ad fines pertinent atque conducunt: nec res singulæ quidem, vt panis hic vtrum rectè concoctus, an confectus sit, necne: quoniam hæc cadunt sub sensum omnia: de quibus si semper deliberet aliquis, res ad exitum perduci non queat. Quod autẽ in deliberationẽ cadit, & in delectum, eadem sunt: nisi quod iam secretum est ac selectum: id quod sub delectum cadit. Quod enim de consilio statutũ iudicatumq; est, id demum propositum dicitur. Tum enim quisque definit quemadmodum quicque gerat exquirere, cum principium ad se retulerit, atque ad eam animi sui partem, quæ tenet principatum: hæc enim pars est quæ deligit. Quod ex veteribus etiã Rebuspublicis, quas Homerus imitatus est, potest perspici. Quæ enim reges suscepissẽt de iis ad populum referebant. Quoniã autem id quod sub delectum cadit, est quod liberationi subiicitur consequente appetitu, eorum quæ in nostra sunt potestate: profectò propositum ac institutum sit necesse est appetitio eorum quæ in nostra sunt potestate, cum antegressa est deliberatio. Iudicio enim ad deliberationem quæ antecessit adhibito, tum sequi consilium cupimus. Ac propositum quidem quid sit, quibusq; in rebus versetur, in iis scilicet quæ ad fines spectant, planè di-
4 ctum est. Voluntatem autem in fine versari diximus: sed aliis in eo versari videtur, quod vere bonum sit: aliis in eo quod bonum videatur. Atqui consequens est, vt

qui quod sub voluntatem cadit, bonum esse dicãt, etiam fateantur non cadere sub voluntatem id, quod is velit, qui minus rectè approbat. Si enim voluntate appetatur bonum, etiam sit. At erat si ita res ferebat, malum. Qui autem aiunt quod sub voluntatem cadit esse, id quod bonum videatur, eos necesse est fateri, nihil sub voluntatem cadere natura, sed quod cuique visum sit. Atqui aliud alij, & si ita res ferat, etiã contraria videntur. Quæ si minus probantur, hoc certè confitendum est, omnino ac reuera id esse bonum, quod sub voluntatem cadat: at singulis, quod cuique videatur. Ac viro quidem bono id bonum, quod verè bonum est: improbo, quod occurrit, videtur. Vt corporibus probè affectis, salubria sunt ea quæ reuera sunt eiusmodi: quæ autem in morbis sunt, alia: itemq; & amara, & dulcia, & calida, & grauia, & cætera omnia. Nam & verè de omnibus vir bonus iudicat, & facilè quid in re quaque verisit perspicit. Propria est enim sua cuiusq; habitus & honestas & voluptas: excellitq; sapiens plurimũ in perspiciendo quid in quaq; re veri sit, quasi rerũ omniũ mensura & norma. At verò animis multitudinis à voluptate tenduntur insidiæ: quippe cùm nec bona sit, & tamẽ esse videatur. Itaque plerique voluptatẽ appetũt
5 vt bonum: dolorem aspernãtur, vt malum. Quoniam autẽ quod sub voluntatem appetitionemq; cadit, ad finem spectat: quæ verò in deliberationem & delectum cadũt, ea in iis cernuntur quæ ad finẽ ferunt: efficitur, vt actiones quæ in illis versantur, omnes iudicio suscipiantur, omnesq; sint volũtariæ. Atque in iis versantur virtutis actiones. Virtus autem ipsa itemq; vitium, in nostra sunt potestate. Quas enim res in nobis situm est vt agamus, eas etiam in nobis situm est vt ne agamus:

quasq; res in nobis situm est vt non agamus, easdem vt agamus in nostra est potestate. Ita si quod honestũ est, est id in nobis vt geramus: illud quoque quod turpe est, vt non geramus, in nobis situm erit. Et si id quod honestum est, vt ne faciamus, in nostra est potestate: necesse est quod turpe est, esse id in nobis, vt geramus. Quòd si in nobis situm est, vt honesta quæ sunt & turpia faciamus, profectò & vt ne agamus eadem, nostra erit voluntatis. Hoc autẽ si est bonos & malos esse, certè probi improbiue simus, est id in nobis. At verò dicere sua spõte ac voluntate improbũ effici neminẽ, nec beatũ inuitum: illud falsum: hoc, verisimile videatur. Nam & nemo est beatorũ inuitus, & vitiũ volũtatis est. Alioqui ea quæ à nobis paulo antè posita sunt, in cõtrouersiam vocare oportebit, negandusq; homo erit, auctor esse & procreator actionũ, quasi liberorum. Quæ si perspicua sunt, neque ea possumus ad alia referre principia, nisi ad ea quæ in nobis sita sunt: hoc certè confitendum est. Quarum rerũ in nobis sita sunt principia, eas in nostra esse potestate, nostraq; esse voluntatis. Testes huius rei sunt & priuatim singuli, & publicè legislatores, qui sumunt supplicium de iis omnibus qui flagitia admittũt, nec vi, nec imprudẽtia, quæ non ipsorũ culpa euenerit: honores autem decernunt iis qui præclara facinora faciunt, vt illos deterreãt, hos adhortentur. Atqui nemo quicquam ad ea omnia gerenda hortatur, quæ nec sunt in nostra potestate, nec sunt nostræ voluntatis: quod nihil attinet inducere animum, vel calescere, vel dolere, vel esurire, vel aliud quiduis eiusdẽ generis, quia nihilo minus ea perferemus. Etenim erroris & imprudẽtiæ causa in eo vindicatur, qui sua culpa nescierit: vt in violentos duplex pœna constituta est, properea quòd

prin

principium in eis situm sit: est enim in eis situm, ut ne vino obruantur: quod quidem causa est imprudentiae. Quinetiam eos puniūt, qui aliquid ignorant eorū quae legibus continentur, quae ipsa & cognosci debent, nec sunt difficilia: itemq; in caeteris, si qui negligentia impediti aliquid videtur ignorare, quod in eis sitū erat, ut ne ignorarēt: quandoquidem in eorū erat potestate, ut darēt operam. Quāquam aliqui certe sunt eiusmodi, ut ne dent operam ut sciāt: eorumq; culpa accidit, ut tales fierent, dum mollius viuūt, & dissolutius: itemq; ut iniusti & intemperantes essent: illi, dum fraude & dolo agunt: hi, dum degunt vitam in cōpotationibus, aliisq; generis eiusdem. Nam quae in quaque re opera ponitur, tales homines efficit. Quod ex iis facile perspici potest, qui ad quoduis certamen, vel officium & actionem se comparant: semper enim id agunt. Hoc ergo ignorare, ex eo quod quisque in re quaque operam ponat, gigni actiones, hominis est ab omni sensu procul abhorrentis. Hoc etiam alienum absurdumq; sit, eum qui faciat iniuriam, nolle iniustum effici: & qui intemperatè viuat, intemperantem. Atqui si quis non imprudens geret ea, ex quibus iniustus nascatur, profectò voluntate sua efficiatur iniustus. Nec si velit quidem, cohibere se possit, aut iniustus esse desinat, fiatq; iustus: quoniam ne aegrotus quidem, valēs & incolumis cùm velit, etiam si ita acciderit, ut sponte ac voluntate sua aegrotaret: quia & libidinosè viueret, nec medicis crederet. Ac tum illi quidem licebat morbum declinare: at post eaquàm se praecipitauerit, & proiecerit in morbū, iam non licet. Ut is qui lapidem iaculatus est, non potest iam reuocare, nec sustinere iactum, quanquam esset anteà in eius potestate, ne iacularetur, cum in ipso situm

esset principium: sic iniustis ac libidinosis initio ab his vitiis declinare licuit, propterea quod in eorum erant potestate: aut postea quam eiusmodi extiterunt, iã non licet. Nec vero animi solum, sed in nonnullis, corporis etiam vitia iudicio ac voluntate suscipiuntur, iis quos culpamus. Nam quæ à natura hominibus tributæ sunt deformitates, eas nemo vituperat: at quæ incuria & negligentia suscipiuntur, omnes dantur vitio. Eadem est infirmitatis ratio deformitatis, & debilitationis membrorum. Nemo enim cæcitatẽ ei qui à natura priuatus est oculis, aut morbo, aut vulnere, vt probrũ obijcit, sed misericordia potius commouetur: cui autem ex vinolentia, aut alia intemperãtia hoc euenerit, is culpatur ab omnibus. Quæ ergo vitia corporis in nostra sunt potestate, culpantur: quæ non sunt, non item. Quòd si ita est, in cæteris etiã omnibus quæ crimini dãtur vitia, ea in nostra sint potestate necesse est. Quòd si quis dixerit omnes sequi ea quæ bona esse videantur: illam autem æstimationem ac iudicium non in eorum esse potestate, sed qualis quisque sit, ei talem finem videri: huic respondeo, si sibi quisque gignendi habitus causa est quodãmodo, profecto & visum id quodammodo causam, quęque esse, vt existat. Sin nemo sua culpa, praua quæ sunt & flagitiosa facit, sed ignarus finis existimans iis se beatum futurum: finisq́; appetitio non est illa quidem propter se approbanda, sed ita facti omnes institutiq́; esse debent à natura, vt quasi aspectum quendam habeant, quo verè iudicabũt, atque id quod verè bonũ est sequentur: atque is demum ingeniosus est, & bene animo cõstitutus, cui hoc munus a natura est datum. (Est enim hoc & maximum & præstantissimum, quodq́; nemo nec accipere ab alio possit, nec discere: sed qualecunq;

cũque à natura cuique tribuitur, tale obtinebit. Cuius si summa & excellens quædam à natura concessa sit facultas, id demum perfectũ verumq́; sit ingeniũ necesse est.) Si hæc, inquam, vera sunt, cur virt potius quàm vitium voluntatis erit? cùm præsertim vtrisque & bonis & malis finis eodem modo vel natura, vel quomodocunq; videatur atq; obijciatur. cætera verò eò omnia referant, & agant quomodocunq;. Siue igitur finis non natura qualiscũque cuiq; videtur, sed aliquid etiã est extra ipsum: siue finis naturalis est, ob eamq; causam virtus voluntaria est, quòd vir bonus volũtate ac spõte cætera gerat omnia: profectò vitium nihilominus futurum est voluntarium. Improbis enim eadẽ ratione inest, & in actionibus, & in fine, quod per se est. Quòd si ex eo virtutes voluntatis sunt, vt dicitur, quod causas adiuuamus habituum, quodq́; quales sumus, talẽ etiam finem ponimus: profectò vitia quoque nostra voluntate necesse est suscipi. Eadẽ enim ratio est. Ac ea quidẽ quæ communia erant virtutum omnium, quodq́; eàrum esset genus, planè diximus. Nam & mediocritates eas esse, & habitus docuimus, & à quibus gignantur, easdemq́; eorũ à quibus nascantur esse effectrices, idq́; per se: eas etiã in nostra esse potestate tradidimus, iudicioq́; nostro ac voluntate suscipi, atq; ita, vt recta ratio præscripserit. Nec verò sunt actiones voluntariæ, & habitus eodem modo: nam à principio ad finem in nobis sitæ sunt actiones, quòd rerum singularum teneamus scientiam, habituum verò solùm ab initio. Rerum verò singularum minus est nota accessio, vt in ægrotationibus contingit. Sed quoniam sic secúsne iis vtamur, id in nobis est, idcirco dicuntur esse voluntatis. De singulis autem quæ sint, quibusq́; in rebus, & quemadmodum

versentur, differemus, si paulò altius repetamus. Nam vna eademq́; opera quot sint facilè intelligetur. Ac primum de fortitudine, quam modum audaciæ ac formidini adhibere, anteà diximus: planum enim factum est. Timemus autem ea omnia, quæ molestiam terroremq́; adferunt: quæ eadem, vt semel dicam, mala sunt. Itaque metum definiunt, mali expectationẽ. Ea igitur metuimus omnia, quæ mala sunt, vt dedecus, vt paupertatem, vt morbum, amicorum penuriã, mortẽ: sed tamen non in his omnibus fortis cernitur. Sunt enim quædam pertimescenda, idq́; præclarum est: quæ eadẽ turpe sit non timere; vt dedecus. Nã qui ea metuat, is probus & pudens: qui non extimescat, impudens iudicandus est. Quãquã is à nonnullis fortis nominatur, trãslationis vsurpatione, quoniam simile quiddã forti habeat: vacat enim metu vir fortis. Nec verò paupertas horribilis est, nec aut pertimescenda: nec morbus: nec omnino quicquam præter culpam, & quæ præstare possimus. Nec si quis in his se interritũ præstiterit, is cõtinuò fortis habendus est. Quanquã eum etiam similitudine quadam fortem dicimus. Sunt enim qui in bellicis periculis ignaui sunt, ac timidi: iidem liberales, & ad iacturam pecuniarum faciẽdã parati ssimi. Nec si quis vim liberis & vxori timeat, vel inuidiã, aut si quid est eiusdem generis, ignauus ac timidus putandus est: nec fortis is, qui fidenti sit animo tum, cùm virgis cæsum se iri videat. Quibus ergo in rebus horribilibus fortis cernitur? an in maximis? Neque enim viro forti quisquam maiore æquioreq́; animo terribilia perferre potest. Omnium autem rerũ nihil morte terribilius, nihil acerbius: præsertim cùm omnium rerum sit extremum, & vltra iam nullo in malo aut bono sint mortui. Nec verò

in

in omni genere mortis vir fortis cernitur, vt si quis in mari pereat, vel morbo intereat. Quo ergo in genere? an non in pulcherrimo? Qualis est ea quæ in bello euenit: quippe quæ in maximo pulcherrimoq́ periculo oppetatur. Hoc indicant honores, qui & in Rebuspub. & apud reges decreti sunt iis, qui in bello fortiter pugnantes occubuerint. Quocirca propriè, ac verè fortis videtur is, qui morte honesta proposita, iisq́ omnibus quæ mortem adferunt, cùm repente appropinquant, metu vacat. Cuiusmodi sunt maximè, quæ in bello versantur. Attamen & in mari, & in morbis vir fortis vacuus est ille quidem à metu, sed non more nautarum. Fortes enim & de salute sua desperant, & genus hoc mortis acerbè ferunt: illos fidenti esse animo docuit exercitatio. Sunt etiam forti magnoq́ animo, cùm aut viribus locus est, aut pulchrum exire de vita: quorum neutrum in his generibus interitus contingit.

7 *Nec verò eadem sunt formidolosa omnibus, estq́ aliquid quod præstare homo non possit, quod omnes profectò qui sani sunt mente, pertimescent. Quæ autem homo præstare potest, ea magnitudine differunt, aliaq́ grauiora sunt, alia leuiora: similiterq́ ea omnia quæ præbent animis nostris fiduciam. Quibus in rebus vir fortis, etsi terrore vacat, quantum hominis natura patitur, tamen hæc ipsa, vt decet, vtq́ ratio postulabit, pertimescet, idq́ honestatis causa, quoniam is est virtuti propositus finis. Fieri autem potest, vt eadem quis & nimium, & parũ metuat, etiam vt quæ nõ sunt pertimescenda, æquè ac illa timeat. Hinc peccata nascuntur: aliud, quod timeatur id quod timendum non est: aliud, quod nõ timeatur quemadmodum timẽdum est: aliud, quod non metuatur aliquid, tum cum metui debet:*

bet:& si quæ sunt generis eiusdem. Itémque in iis omnibus quæ animum nobis fiduciamq; præbent. Qui ergo quæ cuiusque rei causa, & quemadmodũ decet, perfert, extimescitq; omnia, quiq; fidenti animo, is fortis habendus est: pro rerum enim dignitate, & quando rectũ est, & vt ratio præcipit, vir fortis & fert, & gerit omnia. Omnis autem actionis & officij finis ex animi habitu ponderandus est. At forti viro fortitudo honesta videtur. Est igitur ei finis propositus eiusmodi: quòd fine terminat metiturq; omnia. Honestatis ergo causa magno fortiq; animo vir fert, facitq; ea quæ subiecta sunt fortitudini. Ex iis verò qui modũ transeunt, qui vacuitate quadã metus impulsus id facit, vacat nomine. Esse autem multos qui nomine vacarent, suprà ostendimus. Quòd si nomen fingere placet, appelletur sanè insanus, vel sensus omnis expers; si modo nihil metuat, neq; motum terræ, neq; vndas, quales aiunt esse Gallos. Qui autem nimis confidit iis rebus quæ terrorem afferunt; audax nominatur. Atque etiam arrogans audax videtur esse, sibiq; fortitudinem vendicare. Itaq; quo ille animo in rebus asperis est, eodem hic cupit videri: quocirca quibuscunque rebus potest, eũ imitatur. Ita fit, vt plerique eorum ita audaces sint, vt etiam ignaui: cũ enim in his audacia prouecti sint, tamen nunquàm res formidolosas subeunt. At qui metuendo modum egreditur, is ignauus timidúsue appellatur. Nam & quæ metuenda non sunt, & quemadmodum non sunt, quæq; sunt eiusdem generis, omnia eum consequuntur. Discedit etiam ab audacia. sed quoniam ægritudine modũ transit, magis apparet. Desperat enim ac diffidit ignauus omnis, quoniam omnia pertimescit: at fortis contrà: est enim fidentis animi audere. Ac in his quidem rebus omnibus

timi

timidus, audax, & fortis: illi quidem versantur, sed non eodem modo affecti sunt: illi enim transeunt modum, & ab eo deficiunt: at hic modum in iis tenet, eũ etiã quem ratio præscripserit. Atque audaces quidem temeritate prouecti, antè cupiũt adire pericula, quàm instẽt: cùm adsunt, ea defugiunt. At fortes in ipsis rebus acres sunt & prompti, anteà cùm essent otiosi. Quapropter, vt dixi, fortitudo mediocritas est earum rerum, quæ hominibus vel fiduciam præbent, vel terrorẽ afferunt, quibus in rebus ostendimus: quæ eadem sequitur ac tolerat, quia honestum est ea & sequi, & perpeti: aut certe quia turpe est contrarium. Mortem autem sibiipsi consciscere, fugientem vel inopiam, vel amorem, vel molestiam, fortis animi magniq; non est, sed angusti potius & timidi. Nam quæ laborem solicitudinemq; desiderant ea fugere, nec quia honestum est id ferre, sed eo fugere, ne malum habeas, mollis animi est atq; effœminati. Ac fortitudo quidẽ ex eo genere est. Eius autem alia quinque genera traduntur. Primum genus est eius quæ ciuilis dicitur, cùm ad illam proximè accedere videatur. Excitantur enim ad subeunda pericula ciues, & pœnis, & probris, & honoribus, qui decreti sunt legib. ob eamq; causam apud eos fortissimi existunt maximè, apud quos ignaui sunt inglorij: fortes, honorati. Quales Homer. facit Diomedem & Hectorem.

Polydamas fœdum primus mihi crimen inuret.

Et Diomedes.

Inter enim dicet Troës fortissimus Hector,
Tydides metuens puppes euasit ad ipsas.

Hæc autem simillima videtur ei de qua suprà disserui, quod à virtute nascitur. Nam à pudoris & honestatis

ſtatis cupiditate proficiſcitur, quoniam honoris ſtudio probriq́ꝫ fuga, quod eſt turpe cõparatur. Eorũ autem in numerum adſcribere licet eos, quibus ij vim inferũt, quorũ ſunt in imperio & poteſtate. Quo ſunt hi quàm illi deteriores, quòd non pudore, ſed metu inducti id faciunt: nec turpitudinis fuga, ſed moleſtia. Cogũt enim principes, vt Hector,

Quem procul à pugna labentem fortè videbo,
Ille canum fiet, fiet quoque vulturis eſca.

9 *Et qui imperant, ſi diſcedant illi, verberant. Idẽ faciunt ij qui antè muros, foſſas, & alia eiuſdem generis, caſtra locant: cogunt enim hi omnes. Sed par eſt, quia honeſtum eſt fortem eſſe, non vi aut neceſſitate. Atque etiam omnis in quaque re exercitatio, nomẽ fortitudinis videtur obtinere. Itaque fortitudinem ſciẽtiam eſſe putabat Socrates. Ac exercitati quidẽ alij ſunt in alijs rebus, vt in bellicis milites. Noua enim in bello permulta fiunt quotidie, quæ hi unà animaduerterũt. Quocirca fortes videntur eſſe, proptereà quod, alij quæ illa ſint non intelligant. Inde omnia facere, nihil pati, cauere ictus, & ferire conſuetudine docti, vſu etiam armorum valẽt. His inſtructi, quicquid Mars ferat, valẽt ad vulnera, non excipienda, ſed infligenda. Pugnãt igitur vt armati cum inermibus, & exercitati cũ imperitis. His enim in certaminibus non fortiſſimo quiſq́ꝫ & maximo animo maximè bellicoſus eſt, ſed qui plurimum valet viribus, optimaq́ꝫ affectus corpore eſt. At verò milites tũ demum ignaui timidiq́ꝫ exiſtunt, cùm periculũ impendet, inferioresq́ꝫ ſunt & copiis, & apparatu. Primi enim fuga elabuntur: at vrbanæ copiæ ſtãtes in acie decumbunt. Id quod apud Hermæum in oppido Bœotiæ*

tiæ Corona euenit: nam & fuga turpis his erat, & mors tali saluti anteponenda. Se autem illi initio pugnæ periculis obiiciebant, quasi meliores essent: at cognito periculo, fuga elapsi sunt, quod mortem magis quàm dedecus pertimescerent. Qualis non solet esse vir fortis. Quocirca iram etiam ad fortitudinem transferunt, propterea quod fortes videntur ij etiam qui ira incitati tāquam belluæ, toto impetu in eos feruntur, qui vulnerarint: quoniam fortes etiam ira excandescant. Est enim maximus ad subeunda pericula aculeus, iracūdia. Hinc Homerus, Furor arma ministrat. &, Animumq; citauit. &, Ingens per nares vis. &, Sanguis efferbuit. Hæc enim omnia significare vidētur concitationem animi, ac impetum. Ac fortes quidē honestatis causa gerunt omnia, eisq; animus subsidio est: Belluæ autem ægritudine ac dolore incitatæ, quòd vel vulnus acceperint, vel ne accipiant, extimescant: nam si sint in suis lustris, haud in quenquā impetū faciunt. Non igitur fortitudo est, dolore, ac ira incitatum adire pericula, nihil eorum quæ molesta & aspera interueniunt, prouidētem. Nam isto modo quidem licet dicere fortes asinos, cum esuriunt, quòd ne verberibus quidem deterrentur à pastu. Quinetiā adulteri cupiditatis causa multa faciunt audacius. Non igitur quidē virtutis est, dolore vel ira ad pericula impelli. Videtur autem naturam attingere, ea maximè quæ ab ira ducitur: quæ si iudicium finemq; adhibuerit, veræ fortitudinis nomē possit, laudemq; obtinere. Homines etiam tum cùm ira commouentur, dolent, cùm sumunt suppliciū, seq; vlciscuntur, gaudēt. Atq; ex his rebus, bellicosi nominātur: fortes non item. Neque enim honestate, vel ratione, sed perturbatione ducūtur ad pœnam. Simile quiddam in

illis est qui fidenti animo gerunt aliquid, nec tamẽ fortes habendi sunt: quippe cùm propterea in periculis audaces sunt, quod sæpe ac permultos vicerint. Similes autem sunt, quòd vtriq; audaces: sed tamen fortes ob eas causas, quas dixi, audaces sunt illi, quia se sperant fore superiores, nihilq; vicissim esse passuros. Atq; tale quippiam etiam ebrij faciunt, quòd sint fidenti animo præditi. Quod si quæ sibi proposuerant, non adipiscantur, tum fugiunt. At fortis erat, quæ acerba homini & sunt & videntur, ea ob eam causam ferre, quia & honestum sit: & nõ ferre, turpe videatur. Itaq; fortis videtur esse, in subitis repentinisq; terroribus & casibus omni animi perturbatione & metu vacare, potius quàm in prouisis, quòd ea magis ab animi habitu proficiscantur, sintq; minus præparata. Nam quæ prouisa sunt & præmeditata, consilio etiam & ratione quiuis approbare ac sequi possit. At quæ repentina sunt, animi iudicio & voluntate magis. Atq; etiã fortes habentur ij, qui ignoratione ducuntur ad agẽdum: nec procul ab iis absunt, qui spe ac fiducia freti faciunt quippiam: sed tamẽ hoc sunt deteriores, quòd nihil scientiæ in ipsis inclusum est, in illis autem est. Itaq; illi aliquãdiu permanent in sententia. Qui autem falsi sunt & decepti, si semel rem aliã esse atq; suspicati erãt, intelligant, fugiunt. Quod Argiuis euenit, qui in Lacedæmonios, quos Sicyonios putabant, inciderunt. Ac fortes quidem qui verè sint, 10 quiq; videantur, iam diximus. Fortitudo autẽ cum in audacia metuq; versetur, non tamen æquè in iis, sed in rebus formidolosis magis cernitur. Nã qui his in rebus animi perturbatione vacat, quiq; in eis ita est affectus animo, vt decet, is potius fortis est, quàm qui talem se iis in rebus præbet, quæ fiduciam adferũt. Fortes enim

enim ex eo, vt dixi, nominantur, quòd ea quæ acerba sunt & videtur, forti magnoq; animo perferant. Itaq; molesta res est fortitudo eaq; iure laudatur. Difficilius est enim res periculorum molestiæq; plenas ferre, quàm se ab iis quæ voluptatem afferunt, abstinere. Sed tamẽ fortitudinis finis iucundus est, etsi propter eas res, quæ circunfusæ sunt, minus appareat. Vt in iis ludis qui gymnici appellantur, contingit. Nam pugilibus, quem sibi quisq; proposuit, finis dulcis iucundusq; est, vt corona, vt honores: at plagæ & vulnera, quoniã ipsi ex carne constant, omnisq; labor durus est ac molestus. Quæ quoniam multa sunt, finis autem exiguus & perparuus, in eo nihil inesse voluptatis videtur. Similiter in fortitudine, mors, & vulnera aspera & odiosa forti viro, velit nolit, futura sunt. Attamen ea omnia forti magnoq; animo subit, quia pulchrũ est, aut certè quia non subire turpe sit. Atque idem quo maioribus virtutibus omnibus instructus ornatusq; est, quoq; beatior, eo molestius mortem acerbiusq; perferet. Nam cum is sit, qui vita diutissima sit dignissimus, sciens & prudẽs maximis bonis ornamentisq; spoliatur. Quod etsi asperum molestumq; est, tamen in his fortis, excelsusq; animus apparet: eoq; magis, quòd in bello his omnibus talibus decus ipse & gloriam anteponat. Nõ igitur virtutum omnium iucundæ sunt actiones, nisi quatenus finis copulatus coniunctusq; asciscitur. Nihil autem prohibet milites esse clarissimos, non eos qui sunt eiusmodi, sed eos qui minus fortes sunt illi quidem, sed nihil aliud boni habent. Prompti enim sunt isti ac parati ad pericula, vitamq; exigua mercede commutant. Ac de fortitudine quidem hactenus. Quid autẽ ipsa sit, non difficile est ex iis quæ dicta sunt, simpliciter quidem cognoscere.

11 De qua quoniam diximus, iam de tẽperantia disseramus. Sunt enim hæ virtutes earum partiũ propriæ, quæ sunt rationis expertes. Ac temperantiam quidem mediocritatem in voluptatibus esse, iam diximus. Minus enim nõ æquè versatur in doloribus, in quibus etiã intemperantia cernitur. Nunc quibus in voluptatibus versetur, explanemus. Diuisæ sint igitur ita, vt aliæ sint animi, aliæ corporis: vt sunt ambitio, & discendi cupiditas: vterque enim delectatur eo, cuius afficitur cupiditate: cũ nihil corpus, sed animus potius perpetiatur. Qui autem in voluptatibus eius generis occupati sunt, nec tẽperantes, nec intemperantes nominantur. Itemq; ne ij quidem, qui eas sequuntur, quæ non ad corpus pertinent. Nam qui fabellarum cupiditate ducuntur, vel studio narrandi trahuntur, & qui in rebus quibuslibet dies totos conterunt, eos loquaces: non intemperantes dicimus. Ne eos quidẽ, qui pecuniarum amissionẽ, vel amicorum casum grauiter ferunt. Hæreat ergo necesse est in voluptatibus corporis temperantia, nec tamẽ in omnibus. Qui enim delectantur iis rebus quæ sub aspectum cadũt, vt colore, vt figura, & pictura, ij nec temperantes appellantur, nec intemperantes. Atqui vidẽtur iis rebus & delectari posse, vt ratio præscribit, & nimium & parum. Itémque in iis quæ subiecta sunt auditioni. Neque enim eos quisquam qui præter modum cantu, vel histrionum motu lætantur, intemperantes, aut eos qui modicè, moderatos appellat. Nec eos qui iis rebus gaudẽt, quæ subiecta sunt odorationi, nisi impropriè. Nam qui malorum, rosarum, suffumigationumq; capiuntur odoribus & fragrãtia, eos non intemperantes appellamus: sed eos potius, qui vnguentorum & opsoniorum. Ex his enim libidinosi capiunt voluptatem,

propterea quòd ex ipsis redeant in memoriam cupiditatum. Cernere etiam licet alios cum esuriunt, epularum odore capere voluptatem. At gaudere rebus eiusmodi, hominis est impotentis, quoniã eorũ hæ sunt voluptates propriæ. Nec verò his sensibus propriè capiunt cætera animantia voluptatẽ. Neq; enim aut canes leporũ delectantur odore, sed pastu: siquidem sensum odor fecit & efficit: aut leo voce bouis, sed esu, quòd eum in propinquo esse sensit ex voce: itaq; eo ipso lætus est. Itemq; nec quòd cernat, aut inuenerit ceruum vel capram ferã ex eo gaudet: sed quia pastum nactus sit. Versantur igitur in iis voluptatibus omnibus temperantia & intemperantia, quarũ reliqua participes sunt animantes. Itaq; seruiles eas belluinasq; esse constat. Cuiusmodi sunt, quæ gustatu tactuq; capiũtur. Ac gustatu quidẽ, nihil aut paulum admodũ vtuntur. Est enim in gustatu saporũ iudicium: quod quidem ij faciunt, qui vina probant, & opsonia condiunt. Neque hæc placent admodum libidinosis: sed voluptas ea quæ ex tactu percipitur, in esculentis, poculentis, iisq; rebus quæ venereæ nominantur. Itaque Philoxenus quidem Eryxius, cùm epularũ voluptate duceretur, collum sibi dari gruis longius optabat, quòd ex tactu caperet voluptatem. Tactus autem ex sensibus vnus patet latissimè, in quo sita intemperãtia est, quæ iure vt probrum maximè obiectatur: proptereaq; inest in nobis, nõ quatenus homines sumus, sed quia animalia. His igitur talibus delectari, eaq; adamare, belluarũ est. Eas enim excipimus, quæ honestæ liberalesq; cùm maximè sint, ad tactum pertinent, quales sunt quæ in gymnasiis frictione & calore gignuntur. Neque enim proteruorum ac libidinosorum tactus toto corpore fusus est, sed quibusdam partibus inhæret.

rans, vt in fortitudine, ex eo quòd eos ferat: nec intemperans, quòd nõ ferat: sed intemperãs quis appellatur, quòd molestius quàm decet, ferat nulla se voluptate perfrui. Itaque ei affert dolorẽ voluptas. Ac temperãs propterea quòd nec se priuari voluptate doleat, nec abstinere. Ac intemperans omnes voluptates concupiscit, aut certè maximas: sicq; voluptatibus rapitur, eas vt rebus omnibus anteponat. Itaque & nõ fruendo angitur, & concupiscendo. Est enim cum dolore omnis coniũcta cupiditas, nihilq; profectò absurdius fœdiusq; est, quàm ex voluptate percipere dolorem. Qui autem parum aut minus quàm æquum sit, voluptate afficiãtur: pauci admodũ reperiuntur. Non enim propria est hominis huiusmodi sensus vacuitas. Etenim cætera animalia, pastum discernunt à pastu, alioq; delectantur, alio non item. Sed si quis est huiusmodi, cui nihil voluptatem afferat, quiq; nihil putet interesse inter aliam rem atque aliam: is profectò procul absit à natura hominis, hominemq; ex homine exuerit necesse est. Talis quoniã nõ admodum reperitur, vacauit nomine. Tẽperans autem iis rebus omnibus modũ adhibet. Nam nec delectatur iis, quibus intemperans maximè: sed angitur potius, nec omnino quibus ex rebus voluptas percipiẽda nõ est, nec vehemẽter vlla eiusmodi, nec si absint dolore conficitur: nec concupiscit, nisi moderatè. quòd si concupiscat, nullam magis quàm decet concupiscit: nec quando dedecet, nec vllam omnino ardentius desiderat eius generis voluptatem. Quæ autem ad valetudinem pertinent voluptates, vel firmam corporis constitutionem, eas modicè, & vt decet, concupiscit: cæterasq; res omnes voluptatum effectrices, quæ his nõ sint impedimento, dummodo nec honestati repugnent,

*nec facultates exhauriãt. Nam qui ita animo affectus
est, vs vehementius quam æquũ sit, voluptates huiusmo
di adamat. Qualis non solet esse temperans, qui rationi
12 congruit. Intemperantia autem magis nostra volũ-
tate suscipitur, quã timiditas & ignauia. Illa enim ex
voluptate, hæc ex dolore nascitur, quorũ voluptas ex-
petenda est, dolorq; fugiendus. Ac dolor quidem natu-
ram eius in quo est, a suo statu dimouet ac labefactat:
voluptas nihil tale facit, quoniã etiam à nostra volũta
te proficiscitur. Itaque maiore reprehensione digna est:
quandoquidem facilior est earum rerum consuetudo,
quæ sunt voluptatis. Nam & multa & varia eius ge-
neris in vita versantur, & eorũ cõsuetudo sine periculo
omnis capitur. In rebus autem formidolosis contrà con-
tingit. Sed ignauia nõ æquè voluntaria, ac res singulæ,
esse videatur: quòd illa dolore vacat, hæ adèo homines
de suo statu sensu doloris dimouent, vt & arma abiice-
re, & alia permulta contra decorum homines facere co-
gantur: ob eamq; causam violentæ videntur. Contraq;
intẽperantis res singulæ voluntate ac sponte suscipiun-
tur, quippe qui eas appetat & concupiscat: totum verò
genus minus: quandoquidem nemo intemperantiæ cu-
piditate ducitur. Nomen autem τῆς ἀκολαϲίας, id est
intemperantiæ, ad pueriles errores delictaq; transferi-
mus, nec iniuria: est inter hæc enim quædam similitudo:
vtrum autẽ ab altero ductum sit, nihil ad id quod agi-
mus: quanquam satis constat, posterius ductum esse à
priore. Nec iniuria quidem facta trãslatio est. κεκολᾶ-
σθαι enim, id est, castigatione quadã adhibita contrahi
debet id omne in nobis, quod rerum turpium ac libidi-
nosarum cupiditate rapitur, nimiumq; exultat ac lu-
xuriat: cuiusmodi sunt appetitus, & pueri maximè.*

Nam

Nam libidinosè viuunt etiã pueri, in quibus maximè rerum voluptatem efficientium valet cupiditas. Quòd si minus rationi parebunt, eiq; subiecti erunt appetitus, longius euagabũtur. (Est enim cum per se voluptatis insatiabilis & inexplebilis cupiditas, tum omni ex parte in eo qui à ratione discedit) & cupiditas, dum expletur, eius quod cognatũ est vires amplificabit, quæ quo sunt maiores & vehementiores, eo magis mentem è sua sede & statu dimouent: itaque modus in iis retinendus est, ne rationi repugnent. Atque hoc ipsum est, quod obediens, castigationeq; adhibita moderatum esse dicimus. Vt enim puer ex pædagogi præscriptione, sic vis hæc concupiscendi conuenienter rationi debet viuere. Quocirca debet in moderato viro & temperante rationi cõgruere ea pars animi, quæ voluptate alitur. Vtrique enim propositum est, id quod deceat. Et appetit temperans quæ decet, omnia, & quemadmodum, & quãdo decet, quemadmodum etiam ratio præcipit. Ac de temperantia quidem hactenus.

ETHICORVM ARISTOTELIS

LIBER IIII.

D*EINCEPS de liberalitate dicãmus, quæ in pecuniis mediocritas quædam cernitur. Laus enim liberalis, posita est non in bellicis rebus, vel iis in quibus temperans cernitur, nec rursum in iudiciis, sed in dandis accipiendisq; pecuniis, potiusq; in dandis. Pecunias autem appellamus res omnes, quarum nummo ponderatur æstimatio. Sũt autem in pecuniarum vsu duo vitia: quorum alterum in exuperantia positum est,*

diciturq́; Prodigalitas: alterum in defectione, quæ appellatur Auaritia. Ac auaritiæ quidem crimen iis semper attribuimus, qui nimio pecuniarum studio tenentur. Prodigalitatem autem quãdoque cum aliis vitiis confundimus. Impotentes enim, & qui sumptus faciũt profunduntq́; pecunias in eas res quæ sunt intemperantiæ, Prodigos dicimus. Itaque improbissimi videntur esse, quòd multis simul vitiis sint flagitiisq́; contaminati. Non igitur proprio nomine appellantur: est enim prodigus certo vitio implicatus, quod in effundendis pecuniis cernitur. Prodigus enim per seipse perit, atque etiam videtur ipsius interitus quidã esse, facultatum effusio, quòd ex iis vita constet. Prodigalitatem igitur hoc pacto intelligimus. Quarum autem rerum vsus aliquis est, iis & rectè & peruersè vti licet. Atqui sunt diuitiæ & pecuniæ in bonis vtilibus: & qui virtute præditus est, ea quæ in rebus omnibus cernitur, is optimè scit vti omnibus. Optimè igitur diuitiis vtetur, is qui virtutẽ, quæ in pecuniarũ vsu versatur, habuerit: qualis est liberalis. Vsus autẽ pecuniarum in sumptu, & largitione consistit: in acceptione verò & custodia magis cernitur possessio. Quocirca liberalis est, dare potius quibus dandum est, quàm vnde accipiẽdum est accipere: aut vnde accipiendum non est, non accipere beneficiũ. Virtutis enim propriũ est, beneficia in alios conferre potius, quàm ab aliis accipere: & quæ recta sunt & honesta facere, quàm flagitiosa & turpia non facere. Dubium autem non est, quin dãtem beneficium datum, honestaq́; actio comitetur: accipientem verò beneficium acceptũ, aut certè nulla turpis indecoráve actio. Et gratia ac laus multò etiam magis, dantẽ, non accipientem, sequitur. Facilius etiam est non accipere,

quàm

quàm dare: suum enim quisque minus sæpe profundere solet, quàm accipere alienum. Atque etiam liberales di cuntur ij, qui largiuntur. Qui verò non accipiunt, iis nō liberalitatis laus tribuitur, sed iustitiæ potius. Qui autem beneficia accipiunt, non admodum ij laudari so lent. Iam omnium in quibus virtus inest, ij ferè diligū tur maximè, qui fama & laude valēt liberalitatis: pro sunt enim aliis: quod in largiendo quidem positum est. Virtuti autem consentaneæ actiones præclaræ sunt, honestatisq́; causa gerūtur. Dabit ergo liberalis beneficia honestatis causa: & rectè: largietur enim quibus, & quantum, & quādo largiendum erit: cæteraq́; seruabit omnia, quæ rectam & æquā largitionē sequūtur: eaq́; faciet libēter, aut nō grauatè quidem. Quod enim virtute geritur iucundum, aut non molestum, idē minimè graue est. At verò qui largitur quibus largiendum non est, nec honesti studio, sed alia aliqua causa ductus, hic non est habendus liberalis, sed alio aliquo nomine appellandus: ne is quidem qui grauatè id facit, quoniam præclaris actionibus & officiis facile pecunias anteponat, quod procul abest à liberali. Nec verò liberalis vn quam accipiet, vnde nefas sit: quippe cùm ita non soleat accipere is qui pecunias contemnat, ac pro nihilo putet. Nec idem ad petendum procliuis est, quòd nō libenter beneficium accipiat is qui dare solet. Accipiet tamē vnde æquum erit, vt de suis facultatibus & copiis non quòd honestū sit, sed quia necesse, vt ad largiēdum suppetant copiæ. Nec verò sua negliget, qui nonnullis quidem ex his opitulari velit. Passim autē cuiuis nō lar gietur, vt suppetāt copiæ ad largiendū quibus rectum erit, & quādo, & vbi ratio postulabit. Est etiam liberalis, in dādo valde excellere, vt sibi minora reliqua fa

ciat. Liberalis est enim sibi suisq; cõmodis minus consulere. Sed ex facultatibus omnis põderãda liberalitas est. Neq; enim ex numero beneficiorum quæ dantur, sed ex animo & voluntate eius qui dat, omnis est spectãda liberalitas. Animus autem in dando rationẽ habet facultatum. Quamobrẽ nihil prohibet, liberaliorem esse eũ qui minora cõfert beneficia: si ex minoribus quæ suppetant copiis largiatur. Ad opem autem ferẽdam aliis propensiores sunt ij, qui non suo labore & diligentia opes pararunt sed ab aliis partas acceperunt: neq; enim experti sunt, egestatis quam sit graue malum. Et sua cuique facta magis placent, vt parentibus & poëtis. Difficile est autem liberalem locupletem esse, nec accipientem aliunde, nec sua custodientem, quinetiam largientem, pecuniamq; non propter se amantem, sed ad beneficentiam liberalitatemq; conferentem. Itaque accusatur fortuna, quòd minimè locupletes copiosiq; sint ij qui sunt dignissimi. Quod non sine ratione contingit. Neque enim vt cæteris rebus, sic opibus abundare possunt ij, qui nullam dant operam, vt consequantur. Non tamen opem feret indignis, aut quãdo non erit largiendum: eaq; seruabit omnia quæ sunt generis eiusdem: non enim iã faciat, quæ sint liberalitatis: quas in res si profuderit facultates, nihil iam possit in eas quæ honestæ sunt effundere. Vt ergo diximus, is demum liberalis est, qui pro facultatibus atque in eas res quæ præclaræ sint profundit pecunias: qui autem modum transit, Prodigus dicitur. Itaque reges non appellamus Prodigos, quòd non facile sit eorum opes & copias, quas maximas habẽt, vllis largitionibus aut sumptibus exhauriri. Quoniã igitur mediocritas quædam est liberalitas, quæ largiẽdis accipiẽdisq; pecuniis cernitur: largietur

quid

quidem liberalis:& sumptus faciet in eas res quæ decoræ erunt: iisq; modum adhibebit æquè in magnis, atque in paruis: idq; faciet libenter. Accipietq; vnde quantumq; accipiendũ erit. Nam quia in vtroq; virtus modus quidam cernitur, vtrunq; pro dignitate præstabit. Honestam enim largiendi rationem, honesta etiam accipiendi solet consequi: sin talis non est, contraria sit necesse est. Ac hæ quidem quæ se consequuntur, semper sunt in eodem: contraria autem non item. Quòd si contra decorum & honestatem accidat, vt profundat pecunias, ægrè feret ille quidem, sed modicè & decorè. Virtutis est enim, & lætari & dolere quibus rebus, & quemadmodum decet. Iam in re nummaria liberalis facilem se socium, lenemq; præbebit Quoniam enim despicit ac pro nihilo putat pecunias, opportunus est iniuriæ. Idemq; molestius feret se sumptus non fecisse quos debuit, quam doleat se in eas res quas minimè decuit pecunias effudisse: nec Simonidis sententiam probabit. At verò prodigus in his etiam omnibus aberrat: nam nec gaudet, quibus, aut quẽadmodum æquum est, nec offenditur: quod ex iis quæ deinceps dicemus facilius intelligetur. Atque hoc quidem iam diximus, prodigalitatem & auaritiã exuperantias esse, ac defectiones: easq; in duobus versari, largiendis accipiendisq; pecuniis: sumptus enim referimus ad largitionẽ. Et prodigalitas quidem largiendo, & minus accipiẽdo, finem modumq; transit, accipiẽdoq; modum deserit. Auaritia autẽ largitur parum illa quidem: sed accipiendo, nisi in paruis, vltra modum progreditur. Prodigorum igitur non ferè opes augeri solent. Neque enim facile est, eũ qui a nemine accipiat, largiri omnibus. Celeriter enim desunt ad largiẽdũ facultates iis qui priuati sunt, quales sunt

ferè prodigi. Atqui cùm sit eiusmodi, tamen videtur multo melior auaro. Facilè enim ad sanitatem traduci potest & progressu ætatis, & inopia coactus: ad mediocritatemq́; peruenire possit. In eo enim sunt ea omnia quæ sunt liberalis, quòd & largitur, nec aliunde accipit. Sed tamen neutrum faciens, nec decorũ seruat, nec æquitatem. Quod si facere assuescat, aut aliàs cõmutetur, iã erit liberalis. Nam & quibus largiendũ erit, largietur: nec vnde minus æquum erit, accipiet. Quocirca nõ videtur deprauatis corruptisq́; moribus præditus. Non enim scelerati est, aut ingenerosi: sed stulti potius, largiendo, nec accipiendo finem modumq́; trãsire. His igitur præditus moribus prodigus, multo est auaro melior, cùm ob eas causas quas diximus, tũ quòd hic prodest omnibus, ille nemini, nec sibi quidẽ. Sed plerique prodigorum, vt diximus, à quibus non debẽt accipiũt, ob eamq́; causam auari existunt: parati autem sunt ad accipiendum. propterea quòd inest in iis cupiditas plerunque effundendi copias, quod ægrè efficere possunt. Cùm enim dando egere celeriter cœperint, alienis bonis manus afferre coguntur. Et quia nullam honestatis rationem ducunt, sine delectu vndecunque possunt, rapiunt. Inest enim cupiditas in eis largiendi: sed quomodo, aut vnde nihil laborant. Quare largitio eiusmodi non debet liberalis videri. Nam nec honesta est, nec honestatis causa, nec pro dignitate: sed nonnunquam quos homines æquum erat omni ope desertos vitam in summa inopia degere: eos potissimum locupletant: iis verò qui commodis sunt moribus, nihil largiuntur: assentatores autẽ, eosq́; omnes qui ministri sunt voluptatum, magnis opibus adaugent. Ita fit, vt pleriq́; eorũ sint libidinosi. Quoniam enim facilè largiuntur,

sumptus

ſumptus etiam iis rebus ſuggerunt, quæ ſunt libidinis. Et quoniam honeſtè & moderatè non viuunt, propẽſi ſunt ad voluptates. Ac prodigus quidẽ cum nullã ſequitur ducem rationem, in has miſerias incidit. Qui ſi curam diligentiamq́; adhibuerit, facilè ad virtutẽ decorumq́; perueniat. At verò auaritiæ malum inſanabile eſt. Nam ſenectus omnisq́; imbecillitas auaros efficit. Eademq́; magis tributa eſt à natura hominibus, quàm prodigalitas: quòd multo plures ſtudio pecuniæ trahãtur, quàm parati ſint ad largiendum. Latè etiã patet, eiusq́; genera ſunt plura: multi enim modi auaritiæ videntur eſſe. Cũ enim in rebus duabus cernatur, vt ſi minus largiare quàm deceat, & ſi modum accipiendo tranſeas: nõ ineſt tota in omnibus, ſed ſeiungitur, aliiq́; extra modum accipiendo prodeunt, alÿ parũ largiuntur. Qui enim his nominibus appellantur, parci, tenaces, aridi, omnes deficiunt & deſunt dãdo: ſed alienũ nec appetunt, nec volunt eripere: quorum alÿ id faciũt bonitate quadam, rerumq́; turpiũ fuga. Vidẽtur enim quidam, aut certè aiunt ſe ob eam cauſam tueri ac cõſeruare ſua, vt ne aliquãdo turpe aliquid facere cogãtur. In his eſt cumini ſector ille, et ſi quis talis: qui omnes ex ſingulari quadã auaritia nominati ſunt. Alÿ autẽ metu ab alieno manus abſtinẽt: quòd nõ ſit facilè, qui ab aliis eripiat, eius res ab aliis non detrahi et auferri. Placet igitur his talibus, neq́; dare aliis quicquã, nec viciſſim ab aliis accipere. Sũt etiam alÿ in accipiẽdo nimÿ, qui paſſim & quiduis accipiunt: quales ſunt ÿ qui in ſordidis artibus verſantur, vt lenones, & omnes eiuſmodi, vt fœneratores, & qui exigua dant, vt maiora ferant. Omnes enim hi homines, a quibus & quantum æquum non eſt, accipiunt: eorumq́; communis, turpis,

sordiduisq; quæstus videtur. Nam propter quæstũ, atque eum perexiguum, omnes probra & dedecora sustinent. Qui enim magna à quibus, & quæ nefas est, eripiunt, quales sunt tyranni, qui ciuitates oppugnant, fana diripiunt: ij non auari sed scelesti potius, impij & iniqui sunt habendi. Attamẽ & aleatores & raptores & latrones, auari putandi sunt, quòd in turpi quæstu sint occupati: nam spe quæstus hæc instituta sequũtur, & probra perferunt. Atque hi spe quæstus maximis periculis se offerunt: illi ab amicis, quas copias iis suppeditari æquius est, & relinqui, eas lucrantur. Vtrique igitur, quoniam opes suas augent alienis: repugnante ratione, in sordido quæstu & arte versantur. Quamobrem omnes hæ rapinæ & pecuniarum trãslationes illiberales sunt. Iure autem liberalitati auaritia opposita est, quòd maius est malum quàm prodigalitas: sæpiusq; ea peccatur, quàm illa eadem effusione. Ac de liberali-
2 *tate quidẽ, vitiositatibusq; ei contrariis, hactenus. Sequitur vt de magnificentia differendum esse videatur, eo ipso quòd ea virtus in pecuniis cernitur. Sed non ad omnes actiones & officia pecuniaria, quemadmodum liberalitas sed sumptuaria modò adhibetur, in quibus liberalitatẽ magnitudine superat. Est enim virtus, vt nomine ipso declaratur, in sumptuum magnitudine seruans decorum. Magnitudo autẽ ad aliud refertur. Neque enim idem sumptus trierarcho dignus est, & præfecto spectaculorum: in omnibusq; rebus vt decorum conseruetur, & personæ & temporis, & rerum ipsarum habenda ratio est. Qui autem sumptus facit in res vel paruas, vel mediocres pro dignitate, is non magnificus, vt ille qui dicebat, Sæpe dedi peregrinis: sed qui in res magnas, is demum magnificus est iudicandus. Qui enim*

magnifi-

magnificus, idem continuò liberalis: qui autem liberalis, idem non continuò magnificus est. Huius autem animi habitus defectio, sordes appellatur: exuperantia, luxus: & si qua sunt eius generis vitia, quæ extra modum non prodeunt sumptu quibus in rebus decet, verum in quibus dedecet, & qua ratione non decet, splendorē ostentāt: de quibus mox differemus. Magnificus autem docto similis est, quoniam decori rationem habere potest, sumptusq́ue magnos aptè suggerere. Nam cū habitus omnis, animi definiatur actionibus, initio vt dixi, iisq́ue omnibus in quibus versatur: magnifici autem sumptus magni sint & decori: fit vt etiā eiusmodi opera consequantur. Ita enim sumptus magnus futurus est, & ad rem aptus & accommodatus, si & res ipsa sumptu digna, & sumptus re ipsa dignus, aut etiam maior habebitur. Sed hæc omnia honestatis causa (hoc enim virtutibus omnibus commune est) magnificus faciet: idq́ue libēter ac studiosè. Accuratè enim ac subtiliter res ponderare, sordes sectantis ac splendorem fugientis est proprium. Magisq́ue qua ratione quicque splendidissimè efficiatur, considerabit, quàm quanti, quoq́ue modo minimo. Magnificus autē liberalis sit necesse est: nā cùm eos liberalis sumptus suppeditat, quos & quēadmodum decet, tū in iis magnifici splendor elucet. Et quoniam iis in rebus liberalitas cernitur, æquo sumptu rē administrabit splēdidius. Neq́ue enim eiusdē virtutis est & commendationis possessio rei, & opus ex illa re factum. Possessio enim rei, exempli causa auri, plurimi fit & æstimatur. Opus autem ex ea re confectum, præclarum est atq́ue magnū: quoniam eius inspectio mirabilis. At quod magnificū est ac splēdidū, id omne mirabile. Estq́ue rei & operis splendor ac dignitas in magnitudine

tudine. Sumptus autem in hoc genere ij probantur maximè, quæ honorabilia dicimus, quales sunt quæ diis adhibentur, donaria, apparatus, sacrificia, similiterq́; ea omnia quæ in cultu & religione diuina impenduntur, & quæ in Republ. honestæ gloriæ causa exhibentur, vt sicubi ludos fieri splendidè putẽt oportere, aut triremis præfectum munus suum exequi, aut publicum epulum præbere. Sed in his omnibus videndum est, vt dixi, non modo qualis is sit qui agat, sed quales etiam ei suppetant ad efficiendũ facultates. Sunt enim ad res quæ suscipiuntur accommodandæ: nec solum iis opus, sed is etiam qui efficit honestãdus est. Quocirca pauperum nemo possit esse magnificus, quod ei nihil suppetat vnde sumptus queat splendidè sustinere. Quod si aggrediatur, quoniam id faciat contra dignitatẽ ac decorũ: & quicquid eiusmodi est quod rectè fit, id omne virtute geritur: profectò stultus habeatur, necesse est. Hæc autem ita honestabunt eos, si vel per se ea quæsierint, vel à maioribus relicta acceperint, vel ab iis etiam qui eos, tum claros tum nobiles viros, aliquo propinquitatis iure attineant, & si qua sunt ex hoc genere: inest enim in his omnibus splendor quidam & dignitas. Ac magnificus quidem vir est eiusmodi, in hisq́; talibus sumptibus vt dixi, magnificentia cernitur maximè. Sũt enim & maximi, & maxima digni gloriatione. Eorum autem qui priuatim fiunt, huc pertinẽt ij omnes qui semel sug geruntur: vt nuptiæ, & si quid est eiusmodi. Itemq́; is in quo ciuitas tota occupata est, aut ij qui sũt in magistratu: hospitum etiam recipiendorum iura, legationes, dona, & remunerationes. Neque enim sui causa sumptus solet facere magnificus, sed Reipubl. Et dona simile quiddã habent iis rebus quæ diis dedicantur. Est etiã

magnifi

magnifici & honorati viri, domum ædificare, cuius modus & dignitas ad diuitias accommodanda est (quæritur enim etiam ex domo dignitas quædam) & in eas res potius pecunias profundere, quarum memoriã diuturnam sit relicturus. Hæ enim præclarissimæ res sunt, & suum quæque decus obtinet. Non enim eadem diis hominibusq; conueniũt, nec fanis & sepulchris. Omnis etiam sumptus magnus est in suo genere: & clarissimus quisque si in rem magnã factus sit, maximus habetur: & qui his rebus accommodatus est, iam hic clarus magnusq; dicitur. Interest autem inter id, quod in re, & quod in sumptu magnum appellatur. Nam pila quidẽ si pulcherrima sit aut vrceus, pueri quidem ratione & sententia clarus & magnificus habeatur, eius autẽ æstimatio & pretium perexiguum est & illiberale. Ob eamq; causam honorati viri clariq; est, in quocunque genere quid faciat, magnificè id splendideq; facere: quo in genere quicquid fit, nec facilè superari potest, & fit pro sumptus dignitate. Ac magnificus quidẽ vir talis est. Qui autem modum transit, hoc ipso, vt dictum est, modum transit, quod profundat cõtra decus pecunias. In rebus enim parui momẽti magnos sumptus adhibet, splendoremq; ineptè ostẽtat, vt nuptiali apparatu eos excipiens qui dant symbolum, & qui comœdis omnia suppeditans purpuram in eorum præfert transitu, vt solent Megarenses. Atque hæc facit omnia non honestatis, sed ostentandarum diuitiarum causa, & quòd se putet admirationem cæterorum excitaturum: Atque idem quæ res magnos sumptus desiderant, in iis parcus est: quæ exiguos, in iis profusus. Sordidus verò in omni re abest à decoro: qui cum magnos sumptus sustinuerit, in exiguo decorum omne peruertit. Quòd si quid fa-

ciat, & cunctando id efficit, & qua ratione minimo sumptum præstare possit considerat, atque id grauatè: idemq́ se splẽdidius omnia quàm deceat facere arbitratur. Ac sunt hi habitus vitiosi illi quidẽ, sed nõ ferè in reprehensionem incurrũt: idq́ fit ob eã causam maximè, quòd nec proximis noceant, nec insignem habeant deformitatẽ.
3 Magnitudo autem animi magnis in rebus, vt nomẽ ipsum significat, cernitur. Sed primùm in quibus, nobis explicandum est. Nihil autem interest, vtrum ipsam animi affectionem nobis proponamus, an eum qui ea sit præditus. Igitur is demum magno excelsoq́ animo putandus est, qui res magnas illas quidem, sed quibus dignus sit, sibi deberi iudicat. Qui enim minus pro dignitate hoc sentit, is stolidus habendus est. Atqui eorum qui virtute gerũt aliquid nemo stolidus nemo amens putatur. Ac magno quidem vir animo is est quem diximus. Qui autem exiguos honores meritus est, quos sibi tribui æquum censet oportere, is non magnanimus, sed modestus & moderatus est iudicandus. Magnus enim elatusq́ animus in magnitudine cernitur, quemadmodũ pulchritudo in magno proceroq́ corpore. Breues autem homines sunt illi quidem vrbani, aptaq́ compositione membrorum præditi, formosi non item. Qui verò magna præmia se meritum putat, iis cum sit indignus, alto animo dicitur. Nec verò qui maioribus se dignos existimant, quàm eorum sint merita, omnes elati iudicandi sunt. At qui minora quàm habere sit dignus, sibi deberi iudicat, is demisso pusilloq́ animo putãdus est, siue magna, siue mediocria, siue exigua illius extent merita: quibus minora sibi etiã tribui putet oportere, præsertim si magna eius merita videantur. Quid enim si tãtis esset indignus, facturus

fuisse videatur? Ergo magnanimus summus ac extremus est ille quidem magnitudine, sed modo rationéque medius. Nam suis se ipse meritis metitur: alij vel modum transeunt, vel deserunt. Qui si magna, atque adeò maxima sibi, quia dignus sit, deberi iudicat, profectò vna in re maximè eius merita cernentur. Quid ergo tandem illud sit, ex dignitate intelligendum est. Dignitas autem in externis bonis ponitur atque numeratur: quorum maximum ponimus id quod & Diis tribuimus, & quod maxime expetunt omnes ij qui sunt in magistratu, & quod rerum gestarum, vel praeclarissimarum quasi mercede omnes desiderant, qualis gloria est. Est enim bonorum externorum maximum, gloria. In honore igitur & dedecore magnanimus ita animo affectus est, vt ratio aequitásque postulat. Quod etiam tacentibus nobis facilè perspici potest. Gloria enim magni viri se esse dignissimos, idq́ue pro dignitate, arbitrantur. At qui demisso pectore pusillóque animo est, is & suo iudicio abest a decoro, & magnanimi dignitate. Qui autē elato animo est, vincit ille quidem suo iudicio, ac modum transit, sed tamen magnanimum non vincit. Sed quoniam maximis honoribus magnanimus dignus est, idem optimus sit necesse est. Semper enim quo quisque melior, eo maiore dignus est gloria, & optimo cuique maxima gloria debetur. Ita eum qui verè sit magnanimus virum bonum esse necesse est. Atque etiam magni fortisq́ue animi proprium videatur quod in quaque virtute magnū excellensq́ue dicitur. Nequaquam etiam deceat magno animo virum fugere pericula, aut cuiquam facere iniuriā. Quid enim turpe aliquid faciat, cui nihil magnū esse videatur? Ac mihi quidem certe omnia spectanti,

omnino ridiculus magnus animus videtur, qui nō idē sit bonus: qui si malus sit, ne honore quidem esse dignus potest. Est enim virtutis merces gloria, quæ eadē bonis viris tribuitur. Quocirca videtur magnitudo animi quasi splendor quidam & ornamentum esse virtutum omnium. Nam & maiores eas splendidioresq́; facit, & cohærere sine illis nullo modo potest: ob eamq́; causam vix in quoquam vera animi magnitudo reperitur: siquidem esse sine singulari quadā & eximia bonitate nullo pacto potest. Omnino igitur magnus animus in decore & dedecore cernitur. Atque idem magnis honoribus, qui quidem à bonis viris tribuentur, moderatè ille quidem lætabitur, tanquam suos aut etiam minores sit consecutus, (virtute enim vndique perfecta & absoluta nullus honos satis dignus potest esse) sed tamen eos ille quidem certe recipiet hoc ipso, quòd ei maiores habere non possint. Eos autem, quos quiuis & exiguos tribuet, omnino contemnet, ac pro nihilo putabit. siquidem tales meritus non est: itemq́; dedecus & infamiam, quòd ei iure non possunt contingere. Imprimis igitur ac maximè in gloria magnanimus, vt dixi, cernitur. Attamen & in diuitiis & magistratibus, & in secundis rebus & aduersis. affectus erit quàm moderatissimè fieri possit: neque prosperis rebus lætabitur nimis; neque asperis aduersisq́; mœrebit. Non enim isto pacto in honore & gloria, vt re omnium maxima affectus erit. Imperia enim & opes gloriæ causâ expetēdæ sunt. Itaque ea omnia sibi gloriæ ducunt, qui iis sunt præditi. Quid ergo videatur ei magnum in rebus humanis, cui etiam contēptui est gloria? Quocirca magno animo excelsóq́; viri, iidem contemnentes rerum videntur esse. Atque etiam secundæ res

vid

videntur ad animi pertinere magnitudinem. Nam & nobiles gloria digni putantur, & ij qui sunt in imperio, & diuites, quòd excellant aliqua præstátia. Habet autem venerationem iustiorem, quicquid excellit. Itaq; maiores elatioresq; animos hæc ipsa faciunt: siquidem ex iis gloriam à nonnullis consequuntur. Quanquam autem si verum iudicare volumus, solis bonis honos debetur: tamen cui vtrunque adsit, is nescio quomodo maiorem laudẽ ac gloriam meretur. In quibus autem hæc talia bona insunt sine virtute, ij neque se ipsi iure magno honore dignos putant, nec magnanimi rectè nominantur. Neque enim hæc constare sine virtute vndique perfecta vllo modo possunt. Contemnunt enim, cõtumeliosiq; sunt ij qui his etiã bonis abũdãt. Difficile enim est, si à virtute defeceris, ferre aptè res secundas. Quoniam autem ferre illi non possunt, & se præstare cæteris putant, eos contemnunt: ipsi quicquid acciderit, faciunt. Imitãtur enim magnanimum, cùm ab eo absint distentq; plurimum. Hoc quibuscunq; rebus possunt, faciunt. Virtute igitur nec gerunt quicquam, & tamen contemnunt cæteros. At verò magnanimus vir iure despicit. Veritate enim ille ad iudicandum, plerique autem magis temeritate ducuntur. Et quoniam paruifacit ac negligit parua pericula, nec iis se offerre, nec ea optare solet. Magnis autem ac grauibus se obiicit, in quibus vitæ nõ parcit, hoc ipso quòd indignũ sit omnino in vita manere. Atq; is est, qui & beneficia conferat, & accepto beneficio pudore afficiatur: quòd illud eius sit qui excellat & præstet, hoc eius qui vincatur. Idẽ maius beneficium reddit quàm accepit. Sic enim debebit is qui prior dederit, ac prætereà beneficium accipiet. De iisq; loqui solent magnanimi, de

hominibus sermonem habet, quandoquidem nec de se prædicabit, nec de cæteris. Nam nec vt laudetur ipse laborat, nec vt alij vituperentur: nec laudat alios libenter: itaque nec conuitiator est, ne inimicorum quidem, nisi fortè propter contumeliam. Minimè verò de iis malis quæ aut necessariò, aut exigua interueniunt, quæritur, nec ea vt sibi eueniant, precatur. Eius enim est qui in rebus curam adhibet, his in rebus eam animi affectionem constãtiamq; retinere. Atque etiam is est qui res honestas & præclaras, quamuis inutiles, fructuosis anteponat. Hoc enim cum potius attingit, qui se ipse contentus est. Incessus etiam magni viri, tardus sit necesse est, vox grauis, constans & firma oratio. Neq; enim aut festinat is qui paucis rebus studet, aut vehemens est cui nihil magnum esse videatur: quibus de causis & contentiones vocis suscipiuntur, & in ingressu celeritates. Ac magnanimus quidem eum se præstabit. Qui autem iis deest officiis, angusto pusilloq; animo dicitur: qui modum transit, elato: qui quidem mali & improbi minimè videntur esse, quoniam nihil improbè faciunt; sed errant potius. Nam qui demisso abiectoq; est animo, is & quibus bonis dignus est se ipse spoliat, & malo quodam præditus est, quòd se indignum bonis iudicat. Idémque se ipse ignorat: aliter enim ea omnia expeteret, quibus dignus est, cùm sint in bonis. Nec stulti quidem videntur esse, sed pigri potius, quæ eos deteriores facit opinio. Nam cum ea omnes expetant, quæ meritis ipsorum debentur: tamen isti ab honestatis actionibus studiisq; quasi indigni sint, itémque à bonis externis se remouent. At elato animo viri & stulti sunt & se ignorant ipsi, atque id apertè. Nam tanquam digni sint,

ea aggrediuntur, quibus laus & gloria proposita est, deinde culpantur. Itemq́ vestitu, gestu, aliisq́ eiusdem generis se comunt & ornant: suasq́ res secundas notas volunt esse omnibus, ac de se ipsi prædicāt, quòd hæ res sint ipsis honori futuræ ac dignitati. Contraria autem est magis animi magnitudini abiectio animi, quàm elatio & altitudo. Nam & sæpius vsu venit, & maius malum est. Ac animi quidē magnitudo in magno, vt dixi,
4 *honore versatur. Videtur autem etiam in eo quædam virtus consistere, quemadmodum suprà dictum est, quæ eandem habet rationem ad animi magnitudinē, quam ad magnificentiā liberalitas. Nam cū vtraq́ recedat à magnitudine, tamē nos in rebus mediocribus, modestis paruisq́ rectè afficit. Vt autē in accipiēdis dādisq́ pecuniis mediocritas reperitur, nimium, & parum: sic honorem & gloriam nonnulli nimium expetunt, alij parum: quidam eam quærunt ex ijs factis vnde & quēadmodum quærenda est. Nam & ambitiosum vituperamus, & eum qui nulla gloria ducitur: illum, quia nimio honoris studio trahitur, & iis in rebus gloriam consectatur, quibus quærenda nō est, hunc, quoniā ne ex rectè quidem factis instituit gloriam quærere. Incidunt autē nonnunquam tempora, cum & ambitiosos, quemadmodū supra dixi, vt viros & honestatis cupidos laudamus, & eos qui nullum honorem expetunt, vt moderatos & modestos. Perspicuum autem est, nos cùm rei alicuius multifariam quis cupidus dicatur, non tamen eodem semper referre ambitiosum: sed in laude, ex eo quòd auidior sit quàm plerique honoris: in vituperio, quòd magis quàm ratio æquitasq́ patiatur. Quoniam autem mediocritas vacat nomine, idcirco extremæ de ea quasi deserta regione disceptant. Sed qui-*

bus

bus in rebus nimium & parum reperitur, in iis etiam relinquitur mediocritati locus. Atqui honorem homines & nimium expetunt, & parum. Expetunt igitur, & quomodo expetendus est. Quare laudatur habitus, qui modum adhibet in expetenda gloria, etiamsi vacet nomine. Hoc autem apparet, si virtus hæc cum ambitione comparetur, fore, vt vacuitatis honoris: sin cum vacuitate honoris, ambitionis speciem præ se ferat: si autem cum vtraque, vtranque quodammodo imitari videbitur: quod in reliquis etiam virtutibus cernitur. Quoniamq́ mediocritas hic nomen non ha-
5 *bet, pugnare extrema inter se videntur. Mansuetudo etiam seu clementia mediocritas quædam iræ est. Sed quoniam medium vacat nomine, ac ferè etiam extrema, ad medium clementiam transferimus, quæ ad id quod parum est deflectit, quòd nomine vacet. Exuperantia autem iracundia appelletur. Ira enim ipsa perturbatio est, quæ ex multis rebus variisq́ gignitur. Atque is quidem qui quibus de rebus, quibusq́ hominibus decet, irascitur, quiq́ id facit quemadmodum, quando, & quandiu decet, is laudibus afficitur, quem eundem clementem & mansuetum appellari licet. Siquidem in laude clementia est. Vult enim clemens omni animi vacare perturbatione, non à perturbatione rapi & distrahi: quin etiam vt ratio præscripserit, sic & his de causis, & tandiu vult succensere. Peccare autem in eam partem videtur, quæ modum deserit. Neque enim vlcisci cupit clemẽs, sed ignoscere. At verò defectio siue lentitudo, siue alio quouis nomine appellari placet, est in vitio. Qui enim minus succensent ob eas causas, ob quas decet succensere, ij stulti videntur: & qui non quomodo, quando, quibus*

F 5

irascendum est. Sunt enim omnis sensus & doloris expertes, qui irasci nesciunt, nec propulsant iniuriam. Atqui contumelias & conuitia æquo animo ferre, ac in suis negligere, seruorum simile est. Exuperātia verò illa quidem in omnibus existit (nam & quibus hominibus & quibus de causis non est irascendum, irascimur, & vehemētius, aut remissius, ac diutius quàm ratio postulet) sed tamen non in eodem hæc quidem insunt omnia: neque enim possunt. Cum enim per se malum omne labefactat, tum si integrum sit, intolerabile existit. Ac iracundi illi quidem celeriter cōmouentur, & in quos, & quibus de causis, & vehementius quàm sat sit: sed facile ac cito etiam eorum ira desistit: quod in illis quidem est optimum. Idq́ eis propterea accidit, quia iram non continent, sed vicissim reddūt, quia ex ipsorum præcipiti animi commotione quales sint facile apparet, hinc finem faciunt. ἀκρόχολοι *autem id est, extrema bilis homines, nimium procliues sunt, & omni re facile concitantur ad iracundiam, & quauis de causa; vnde etiam traxêre nomen. At acerbi ægrè placantur, diuq́ irati sunt, parent enim animi dolori: quem si semel expleuerint, tum modus apponitur. Vltio enim modum finemq́ iræ adhibet, cum pro dolore voluptatē efficit. Quod si minus fiat, quasi onus quoddam sustinent. Quia enim hoc minus apparet, nemo eis animū potest inducere, & ad mitigandam & quasi concoquendam iracundiam, tempore opus est. Cum autem hoc hominum genus sibi molestissimum est, tum amicis maximè. Infensos autem homines appellamus eos, qui quibus de causis minus rectum est, irascuntur, & vehementius & diutius quàm ratio postulare videatur: eos etiam, qui non redeunt in gratiam, nisi*

vltio vel animaduersio sit consecuta. Clementiæ autem repugnat magis vitium, quod modum transit, ob eam causam quia sæpius accidat. Nam & vlcisci iniuriam magis naturam attingit humanã: & infesto infensoq́; animo homines minus apti sunt ad vitæ communionẽ. Hoc autem & supra dictum est, & ex iis, quæ docemus nunc, perspici potest, non esse dictu facile, quomodo, aut quibus hominibus, aut qua de causa, & quandiu deceat irasci, & quatenus quis rectè faciat, aut peccet. Qui enim paulum aliquid modum transit, is nec quod fines rationis transilierit, nec quod ab ea defecerit, vituperari solet. Interdum enim eos laudamus, qui modum deserunt, clementesq́; dicimus: & iratos viros appellamus, quasi imperare possint. Ergo quantum quisque vel quomodo modum egressus vituperandus sit, non est facile explicare oratione. In rebus enim singulis, atque in sensu positum iudicium est. At illud quidem perspicuum est, medium habitum esse laudabilem, quo quibus rectum est irascimur, quamq́; ob causam, & quomodo decet, quod fit etiam in cæteris generis eiusdem. Illæ verò affectiones quæ modum transeunt, ac deserunt, sunt omnes in vitio: quæ si paruæ sunt, leuiter. si maiores, magis: si singulares, vehementer sunt reprehendendæ. Hoc igitur perspicuum est mediam in his animi affectionem obtinendam. Ac de his quidem animi affectionibus quæ in ira versantur, hactenus.

6 *In consuetudine autem vitæ sermonumq́; ac factorum communione comes &. affabiles videntur ij, qui ad voluptatem laudant omnia, nec vlla in re aduersantur, quod putent se iis quibuscũ viuunt, nullo loco molestiæ esse oportere. Qui verò sunt his multum dispares, & in omni re aduersantur,*

nec de

nec de cuiusquam offensione ac molestia laborant, ij difficiles ac factiosi vocantur. Non est quidem dubium id, quin hi animi habitus sint in vitio: isq; sit in laude, quo ea omnia quæ recta sunt, vtq; ratio præcipiet, probabuntur, respuenturq; contraria. Nomen autem ei non est impositum, quanquam amicitiæ similis parq; videatur. Qui enim ea animi affectione præditus est, que medium locum tenet, eundem & bonum virum & amicum esse volumus, adiuncto amore. Hoc autem differt ab amicitia, quòd perturbatione eorumq; vacat amore, quibuscum ipse versatur. Neque enim amore vel odio ductus probat, vt decet omnia, sed quia ita animo est constitutus. Æquè enim hoc erga ignotos ac notos: erga familiares æque, ac erga eos, quorum non est implicatus consuetudine præstabit, nisi quòd in omnibus id faciet pro dignitate. Neq; enim æque decet familiaribus, ac exteris voluptate & molestiam afferre. Atq; hoc quidem iam dictum est omnino, eum talem hominem in communione earum rerũ quæ ad vitam pertinent, se ita esse gesturum vt ratio postulabit. Si autem honestatis vtilitatisq; rationem habuerit, inuestigabit inibitq; rationem, qua non possit offendere, aut certe delectare possit. Nam cum iis in iucunditatibus molestiisq; cernatur, quæ ex colloquiis nascuntur, quibus in rebus indecorum ei est, aut etiam incommodum delectationem afferre, tum eas molestè feret, maletq; amicum offendere. Quod si qua res sit eiusmodi, quæ turpitudinem facienti, eamq; non paruam afferat, vel incommodum, & contraria leuem molestiam non probabit, sed aspernabitur. Aliter autem cum iis versabitur qui autoritate aliqua præditi sunt, aliter cũ quolibet, magisq; aut minus notis: itemq; in aliis varietatibus

bus suum cuiq; tribuet decorum: quantumq; in ipso est, placere volet ac gratus esse, molestus autem esse verebitur. Quæ autem eueniũt, honestas dico & vtilitas, ea si maiora sunt, sequitur: magnæq; in posterum voluptatis causa, leuiter offendet. Ac medius quidẽ talis est, nec vllo appellatus est nomine. Qui autem aliis affert delectationẽ, in eoq; nihil aliud sequitur, nisi vt gratus sit, affabilis dicitur. At qui id facit, vt adiumentũ ad opes adipiscendas, eaq; omnia quæ pecuniis parantur, nãciscatur, is assentator est habendus. Eum verò qui molestus ac tristis est omnibus in rebus, iam difficilem ac factiosum appellãdum diximus. Pugnare autem inter se videntur extrema, quod mediocritas nomen nõ habet. Eisdem ferè in rebus arrogantiæ mediocritas cernitur, quæ etiam vacat nomine. Ac de iis non erit alienum disputare. Nam facilius ea quæ ad mores pertinent intelligemus, si de singulis disseruerimus, & virtutes mediocritates esse probabimus, si ita esse in omnibus perspexerimus. Iam de iis qui vitæ societatem, vel ad voluptatẽ, vel dolorem dirigerẽt, diximus. Nunc de iis qui verum vel falsum enuntiant, ac præ se ferũt seu factis seu dictis, idq; arrogando, disseramus. Igitur arrogãs appellatur is, qui sibi res magnas & præclaras sumit & vendicat, cum non insint, vel maiora quàm quæ insunt. Dissimulator contra, qui quæ insunt negat inesse, aut extenuat. At verò medius & perfectus vir quoniam ius suum tuetur, in iis verax est, & vita & oratione: ea in se inesse confirmãs quæ insunt, nec maiora, nec minora. Licet autem quáque harum rerum & rei alicuius, & nullius causâ facere: qualisq; est quisque, talia sunt eius & facta, & oratio, & vita, nisi rei alicuius agat gratia. Ac per se quidem omne in malo vitioq;

mend

mẽdacium est: veritas honesta & laudabilis. Ita etiam verus homo, quoniam medium locum obtinet, est omnino laudabilis. Qui autem mentiuntur, vtrique sunt illi quidem vituperandi, sed maiore quadam ratione arrogans. De quorum vtroque ita differemus, si prius de veraci pauca præponamus. Non enim de eo instituimus dicere, qui in pactis rebusq; contrahendis verus est, aut iis omnibus quæ ad iniustitiam iustitiámue pertinent (est enim hoc alterius virtutis proprium) sed de eo, qui in quibus rebus nihil tale postulatur & agitur, se & vita & oratione bonum virum ac veracem præstat, hoc ipso, quòd ita sit animo constitutus, quem eundem bonum virum appellari licet. Nam qui veri cupiditate ducitur, quiq; tum verum enuntiat, cum id non agitur: is multo etiam facilius verax futurus est, si res postulabit. Mendacium enim, vt turpe aliquid, vitabit, quod quidem etiam per se ipse fugiebat. Atqui talis vir laudandus est. Sed ad id potius quod minus est ac inferius in veritate, deflectit. Id enim aptius est, quoniam quicquid modum finemq; transit, nimiumq; est, id omne molestum. At verò qui maiora sibi quam quæ insunt, vendicat & sumit, rei nullius causa: est ille quidem improbo similis: (neque enim mendacio delectaretur) sed tamen stulti potius, quàm praui speciem gerere videtur. Qui autem alicuius rei causa id facit, si gloriæ vel honoris, non est ille quidem admodum vituperandus: qualis est arrogans. At qui pecuniæ vel earũ rerum causa, quæ ad pecuniam spectant, is multò deformior est. Nec verò facultate ac potestate arrogans: sed animo ac voluntate cernitur. Ex animi enim habitu, & quia talis sit, omnis arrogãs indicatur. Ita mẽdax,

alius

alius mendacio ipso delectatur, alius gloria quęstúsve causa mentitur. Atque ij quidem qui cupiditate gloriæ sibi aliquid tribuunt, ea sibi sumunt omnia, quæ vel ad laudem, vel beatam vitam pertinẽt. Qui autẽ spe quę stus, ea sibi vendicant, quæ etiam vsui sunt proximis, quæq; si minus adsint, celare & occultare licet: velut se medicos ac vates nobiles esse profitentur. Ob eamq; causam hæc sibi pleriq; sumunt & arrogant, quòd in eis insint quæ diximus omnia. In dissimulatoribus autem, quoniam sua ipsorum illi extenuant, lepidiorum morum species apparet: quippe qui non videantur quæstus causa dicere, sed quòd fastidium magnopere molestiamq; fugiant. Sed hi tamẽ ea dissimulant maximè quæ honesta ipsa sunt & plena dignitatis, vt Socrates faciebat. Qui autem exiguas res paruiq; momenti, quæq; perspicuæ sunt omnibus, dissimulant, veteratores dicuntur, ijq; iure contemnuntur. Id quod etiam arrogantiæ datur interdum, qualis est vestitus Lacedæmoniorum. Nam & sua extollere nimium, & extenuare, quandam speciem fert arrogãtiæ. At verò qui moderatè vtũtur dissimulatione, ea vt ne dissimulẽt, quæ ante oculos posita patent omnibus, ij humani atque vrbani videntur. Sed arrogãs, quoniam deterior est, veraci videtur opponi.

8 Sed quoniã requieti quoq; in vita loci aliquid relictum est, in eaq; aliquid ludo conceditur tẽporis, efficitur, vt hic quoque decora quædam & apta consuetudo, congressioq; ea & dicendi & audiendi, quæ & quemadmodum decet & dicere, & audire, vigere videatur. Magnopere autẽ refert, quid quisq; & dicat, & audiat. Ex quo perspicuum est, & transiri in iis mediũ, & deseri. Ac illi quidẽ, qui risu ac facetiis vltra modũ prodeũt, scurræ ac importuni habendi sunt,

præsertim cum omni ex parte ridiculorum cupiditate inflammati, dent operam potius vt risum moueant, quàm vt quæ honesta sunt dicant, aut ne eum in quem scommaiaciunt, offendãt. Qui autem nec facetũ quid dicunt ipsi, & tamen eos qui dicunt, permolestè ferũt, agrestes & duri videntur. At verò qui salibus & facetijs modum quendam adhibent, ij εὐτράπελοι, id est, vrbani vocantur, quasi εὔτροποι, id est bonis moribus præditi. Morũ enim hæ sunt indices motiones. Vt enim corpora, sic mores ex motionibus iudicantur. Quoniam autem facetiæ ac sales patent latissimè, compluresq; ludicris ac dictis plus capiuntur, quàm ratio patiatur: factum est, vt scurræ vrbani quasi affabiles appellarẽtur. Sed tamen ex iis perspicuum est quæ dicta sunt, inter eos magnas esse dissimilitudines. Huic autem mediocritati finitima dexteritas est. Dextri enim ac ingenui est, ea & dicere & audire omnia, quæ bono viro ac libero digna sunt. Eum enim talem hominem quędã, & ioco dicere decet & audire. Magna etiã est distinctio ingenui & illiberalis ioci, eius etiam qui benè institutus est & indocti: quod in antiqua nouaq; comœdia perspicere licet. Aliis enim facetum erat, si rerum turpitudini adhibita etiam esset verborum obscœnitas: quibusdam, si significatio potius: quibus in rebus magna distantia est ad liberalem honestamq; formam & speciem. Vtrum igitur qui rectè iocatur, salesq; iacit, ex eo statuendus sit, quòd ea dicat quæ libero homine digna sunt, an quòd eum qui audit minimè offendat, aut delectet potius, an ne hoc quidem certum est? Alios enim alia offendunt atque delectãt: quæ etiam audient libentius. Quæ enim quisq; audire sustinet, eadem etiam facere videtur. Non igitur omnia faciet. Dictũ enim con-

uitium

uitium quoddam est. Et legislatores quædam iactari conuitia prohibent: æquum autem erat idem de dictis cauere. Quocirca ingenuus & liberalis homo ita animo affectus erit, ut sibi ipse lex esse videatur. Atque is quidem, qui medium locum obtinet, eum se ipse præstabit, siue dexter, siue urbanus nominetur. At verò scurra à risu longè multumq; superatur, qui nec sibi parcit, nec cæteris, si risum concitet: atq; idem eiusmodi commemorat, quæ ingenuus nulla ex parte sustineat dicere: nonnulla etiam quæ ab aurium comprobatione abhorreant. Rusticus autem omnino ad has congressiones inutilis est. Nam cum nihil facetum dicat, tamẽ offenditur omnibus. Atqui videtur in hominum vitã requies & ludus inuectus necessario. Tres igitur, quas dixi versantur in hominum vita mediocritates, quæ omnes in quorundam dictorum factorumq; societate consistunt: hoc autem differunt, quòd vna in veritate, aliæ in vitæ iucunditate cernuntur. Earum autem quæ in iucunditate positæ sunt, vna in iocis, altera in aliis vitæ societatibus cõgressionibusq; consistit.

9 *De verecundia autem non est quod vt de aliqua virtute, dicendum esse videatur: siquidem perturbationi est quàm habitui similior. Itaque definitur esse metus quidã de decoris & infamiæ: eodemq; modo nascitur, quo metus is, qui in rebus asperis formidolosisq; cernitur. Nam & erubescunt, qui pudore afficiuntur: & qui mortis metu exhorrescunt, terrore exalbescunt. Quare ad corpus vtrunque quodammodo pertinet, quòd perturbationis magis videtur, quàm virtutis propriũ. Nec verò omni ætati, sed pueritiæ cõuenit perturbatio. Ea enim ætate qui sunt homines, verecundos pudentesq; putamus esse oportere, eosq;, quoniam libidini parent, peccatis mul-*

tis contaminari & infici, à quibus deterrentur propter verecundiam. Ac adolescentes laudamus verecundos: senem autem quòd pudore afficeretur, nemo laudauit vnquam. Nihil enim eum existimamus facere oportere eorum, ex quibus pudor nascitur. Neque enim bono viro digna verecũdia est: siquidem ex malis rebus oritur, quæ facienda non sunt. Nihil autem interest, vtrũ aliæ res per se turpes sint, aliæ opinione: quandoquidem neutræ faciendæ sunt, vt non sit pudori locus. Est etiam improbi, ita animo affectum esse, vt quòd turpe fœdumq́; sit, velit facere. Et absurdum sit, eo esse animo, vt si quid tale agas, afficiare pudore, & propterea te bonum virũ iudices. Pudor enim voluntate ac iudicio omnis suscipitur. Nunc vir bonus nunquam voluntate sua quæ turpia sunt faciet. Sed tamẽ potest aliqua causa verecundiam bonam reddere: vt si quis turpe aliquid gesserit, ex eoq́; pudore afficiatur. Atqui hoc nusquam reperitur in virtutibus. Quòd si impudentia in malis est, & nullo pudore affici ex turpibus factis, malum: nihilo magis eum qui hæc faciat pudore affici bonum est. Ne continentia quidem virtus est, sed confusa cum omnibus cernitur. De qua idoneo loco disseremus. Nunc sequitur vt de iustitia disseramus.

ETHICORVM ARISTOTELIS LIBER V.

DE IVSTITIA *& iniustitia hoc primum cognoscendum est, quibus in actionibus cernantur: iustitia quænam mediocritas sit, quarumq́; in rerum ius medio & æquabilitate consistat. Qua in rerum cogni-*

tione

tione & disputatione eandem quam in superioribus libris, viā & rationem sequemur. Videmus quidem eam animi affectionem omnes iustitiā dicere, quā apti sunt ad res iustas gerendas, quaq; res iustas & faciunt, & cupiunt facere. Eodemq; modo de iniustitia sentiunt, qua iniuriam faciunt, & ad res iniquas iniustasq; vltro impellūtur. Itaque hæc primū quasi simpliciter præponimus. Neque enim ita est in scientiis & facultatibus, vt in habitibus. Facultas enim & scientia contrariorum eadem videtur esse: habitus autem contrarius cōtrariorum, non videtur, vt à valetudine non efficiūtur cōtraria, sed solū salubria. Ambulare enim quempiam more valentis dicimus, cum ambulat vt valens. Contrarius ergo habitus ex contrario sæpe intelligitur, plerunq; etiā habitus ex rebus subiectis. Etenim si firma corporis affectio nota sit, infirma quoque nota constitutio est: ex iisq; rebus quæ firmam affectionem efficiunt firma affectio, & ex hac ipsa, quæ ad firmam constitutionem pertinent. Si enim bene cōstitutum corpus positum est in carnis crassitudine, necesse est male constitutum affectumq; corpus, in carne tenui consistere: quodq; ad bene constituendum corpus conducat, carnis efficere crassitudinem. Cōsequitur etiam ferè, vt si alterū multis modis dicatur, multi etiam modi sint alterius: velut si quod iustū est & iniustum variis modis dicatur, variis etiā modis dici iniustitia & iustitia videātur. Sed quia vicina est ac finitima eorum nominum homonymia, id occultum est, nec fit perspicuum, vt in iis quorum magnæ sunt dissimilitudines. Magna enim ea differentia est, quæ ex forma ducitur, vt vocatur κλεὶς communi nomine, & ea quæ sub collum animalium apponitur, & ea quā ostia clauduntur.

Hoc igitur intelligendum est, multis modis iniustũ hominem vocari, videturq́ iniustus esse & is qui leges violat, & is qui nimio studio amplificandarum rerum suarum tenetur, & is qui iniquus est: vt perspicuum sit iustum esse eum, qui pareat legibus, & qui æquus sit. Iustum ergo id erit quod leges iubent, & quod æquum est: & iniustum id, quod contra leges est, & quod iniquum. Et quoniam est etiam iniustus is qui rebus augendis nimium occupatus est, versabitur in bonis, non omnibus quidem, sed in iis tantummodo, in quibus res aduersæ prosperæq́ consistunt. Quæ simpliciter bona sunt semper illa quidem, sed alicui non semper. Atque hæc optant homines, ac persequuntur, nec debent: sed optare debent potius, quæ verè bona sunt ea sibi salutaria esse, ea autem sequi, quæ sibi bono sint. Sed iniusti non semper in duobus per se malis maius, sed etiam leuius eligunt. Sed quia minus malum etiam boni speciem gerit quodam modo, & boni adipiscendi maior inest cupiditas, idcirco maiorum opum cupidi videntur. Quinetiam iniqui sunt (hoc enim continet, lateq́ patet: continet enim quod iniquum est, & maiorem & minorem iniuriam) & leges violant: quoniã hoc ipsum violare leges, ac iniquum esse, iniustitiam omnem complectitur, fusumq́ est per omnem iniustitiam. Quoniã autẽ omnis est qui contra leges facit, iniustus, & omnis iustus qui paret legibus: perspicuum est ea omnia quæ legitima sunt in iustis esse quodam modo numeranda. Quæ enim à disciplina legum ferendarum constituta sunt, ea legitima habentur, quorum quicque in iustis esse dicimus. Leges autem iubent omnia, in quo vel communem omnium vtilitatem exquirunt, vel optimorum vel principum: idq́ vel actionibus virtutum, vel

quia ius alia ratione assequuntur. Quocirca iusta appellamus vno modo ea quæ beatam vitam & eius partes in ciuili societate efficiunt ac tuentur. Ac lex quidem & forti suum officium præscribit, vt non deserere ordinem, nec fugere, nec arma abiicere: & temperato, non adulterari, nec vi constuprare: & clementi, non verberare, neque conuitiari: itémque in cæteris virtutibus & vitiis, illa iubet, hæc vetat. Ac salutaris quidẽ habẽda est ea quæ rectè lata est: quæ inconsultè & inconsideratè perniciosa. Atque hæc iustitia, absoluta est illa quidem virtus & perfecta, non si ad sua, verùm si ad alterius commoda referatur. Ob eamq́ causam, hæc vna virtus omnium est domina & regina virtutum, neque Hesperus aut Lucifer tantam sui excitant admirationem. Ex quo factum est iam tritum sermone omniũ prouerbiũ, Iustitia vna omnes virtutes reliquas cõtineri. Eademq́ virtus perfecta est ob id maximè, quòd inest in ea vsus virtutis vndique perfectæ. Perfecta est autem propterea quòd qui ea præditus est, is etiam erga alios, non in se modo virtutem exercere ac excolere potest. Plerique enim in suis rebus præclarè se gerere possunt, in alienis non possunt. Quocirca præclarum est illud Biantis, Magistratum virum ostendere. Qui enim præest in Repub. is iam res curat aliorum, & in Reipubl. luce versatur, ob eamq́ causam omnium virtutum sola iustitia in bonis alienis ducitur, quia ad alterius commoda referri debeat. Aliorum enim commodis vtilitatiq́ seruit, aut principis, aut Reipubl. Ac sceleratissimus quidem est habendus is, qui malitiam, & ad suam & amicorum perniciem exitiumq́ conuertit. Optimus autem is, qui virtutem non ad suam sed aliorum vtilitatem refert. Est enim

hoc arduū opus. Atque hæc ipsa iustitia non pars virtutis est, sed virtus vniuersa: & iniustitia ei opposita, non pars vitij est, sed vniuersum vitium. Qualis autem sit differentia virtutis & iustitiæ, de qua agimus, perspicuum ex iis est, quæ dicta sunt. Est enim re idem, cogitatione autem non idem: sed quia ad alterum refertur, iustitia: quia habitus est, omnino virtus nominatur.

2 *Quærimus autem quidem iustitiam quæ pars subiecta est virtuti (est enim quædam, vt diximus) & iniustitiam eam quæ pars est. Aliquam autē esse eiusmodi, ex hoc facillimè perspici potest. Nam qui agit eorum aliquid, quæ cæterorum vitiorum sunt propria, is facit ille quidē iniuriam, attamen nihil cōsequitur amplius. Velut si quis abiiciat clypeum propter ignauiam, aut maledixerit per iram, aut pecuniis non iuuerit propter iniuriā. Cum autem plus adipiscitur quis, sæpe ad nullum eiusmodi vitium illud, nec ad vniuersa, sed ad certum iam aliud pertinet: vituperamus enim. Est igitur quidem aliud genus iniustitiæ, quæ vt pars subiecta est generali, itēq; alia iniuria subiecta iniuriæ generi, quod est cōtra leges. Præterea si quis quæstus causa stuprum inferat quæstumq; occipiat, alter cupiditate incensus idem cum damno rerum suarum faciat: hic intemperans potius quàm auidus esse videatur: ille iniustus, intemperans non item. Perspicuū est igitur hoc propter quæstum cōtingere. Iā verò in cæteris sceleribus omnibus, si peccetur, id semper ad certum aliquod peccati genus refertur, & pertinet, velut si adulteratus est, ad libidinem & intemperantiam: si in acie locum & ordinem deseruit, ad ignauiam: si pulsauit, ad iracundiā. At si quæstum fecerit, ad nullum vitiū refertur, nisi ad iniustitiam. Quare perspicuum est, esse præter generalem*

lem certam quandam iniustitiam, quæ illi subiecta sit, eodem nomine appellata, quoniam in eodem genere posita est definitio. In rebus enim alienis vtraque vim suam obtinet. Sed hæc in honore, aut in pecuniis, aut in salute, aut si quo vno nomine hæc complecti omnia possumus, & in voluptate ea quæ spe quæstus percipitur. Illa in iis spectatur rebus in quibus vir bonus. Hoc ergo iam apparet, iustitiæ plura esse genera, aliudq́ue esse præter generalem virtutem, iustitiæ genus: quæ autem qualisq́ue sit, deinceps explicandum est. Partitio à nobis posita est rerum iniustarum, alias esse contra leges, alias cõtra æquitatem. Et iustarũ alias legitimas, alias æquas. Ac iniustitia quidem de qua supra dictũ est, ab ea quæ contra leges est iniuria nascitur. Quoniam autem iniuria ea quæ repugnat æquitati, & quæ legibus, non sunt eadem, sed altera pars est subiecta generi (quod enim iniquum est, id omne contra leges est: quod autem contra leges est, non omne etiam iniquum: nam quicquid plus est, omne iniquum est, quod autem iniquum non plus etiam) efficitur, vt quæ iniusta sint & iniustitia, non sint idem quod illa, sed aliud omnino: Hæc enim tanquam partes sunt, illa tanquam genera: siquidem hæc ipsa iniustitia pars est iniustitiæ generalis, itemq́ue iustitiæ subiecta est iustitia. Quare & de iustitia & de iniustitia, quæ vt partes subiectæ sunt generi, nobis dicendum est, & de iure & iniuria eodem modo. Præmittenda est igitur nobis iustitia ea quæ generali virtuti attributa est, & iniustitia: quarum in altera vsus virtutis generalis aduersus alterũ cernitur, in altera vitij. Ex quo etiam perspicuum est, ea quæ iustè & iniustè ab iis proficiscuntur, quo pacto sint explicanda: pleraque enim iura legitima à gene-

rali virtute ferè praſcribuntur. Nã & ex quaque virtute vitã degere, praſcribit lex, & ex vitiis, vetat. Efficientia autẽ virtutis generalis, legitima ſunt ea omnia quæ de diſciplina publica cauta ſunt legibus. Nã de ea diſciplina quam ſibi quiſque priuatim deligit, ex qua boni viri verè nominantur, vtrum ad ciuilem ſcientiã pertineat, an ad aliam, alio loco diſputabimus. Aliud eſt enim fortaſſis virum bonum eſſe, aliud ciuem bonum. Sed iuſtitiæ quæ tanquam pars ſubiecta eſt generi, iuriſq; eius quod ab ea ducitur vnũ genus eſt, quod in tribuendo honore, vel pecuniis cernitur, cæteriſve rebus omnibus, quæ diuidenda inter eos ſunt, qui in ciuili ſocietate & communione verſantur: ea enim poſſunt vel æqualiter inter ciues diuidi, vel inæqualiter. Alterum genus eſt quod in pactis contrahendiſq; rebus tãquam regula adhibetur. Cuius ſunt duæ partes. Nam contractuum alius voluntatis eſt, alius non eſt. Voluntarij ſunt, vt venditio, emptio, mutuum, ſponſio, locatum, depoſitum, conductũ: qui voluntarij propterea dicuntur, quòd à voluntate noſtra principium eorum proficiſcatur. Eorum autem qui non ſunt voluntatis noſtræ, partim clandeſtini ſunt, vt furtũ, vt adulterium, vt veneficium, vt lenocinium, vt ſeruorum ſolicitatio, vt cædes dolo facta, vt falſum teſtimoniũ: partim vi fiunt, vt verbera, vt vincula, mors, rapina, mem-
3 brorum debilitatio, conuitiũ, contumelia. Quoniam autem iniuſtus iniquus eſt, & quod iniuſtum eſt, idem iniquum: perſpicuum eſt, certum eſſe mediũ eorum quæ iniqua ſunt, idq; æquum nominari. In quacunque enim actione plus & minus verſatur, in eadem etiam æquum cernitur. Quòd ſi quod iniuſtũ eſt, idẽ inæquabile eſt: profectò quod iuſtum eſt, idem ſit æquabile neceſſe eſt.

Quod

Quod quidem omnes, etiam si non adferatur ratio, intelligunt. Quoniam autem quod æquabile est, idem medium moderatumq; est, ius mediũ quiddam sit necesse est. Quod autẽ æquabile est, id in duobus minimis cernitur. Necesse est igitur quod iustum sit, mediũ quiddam esse & æquabile: referriq; ad aliud, & quibusdã esse æquabile. Ac quatenus medium est, aliquorum est: quæ plus minúsve nominamus: quia æquabile est, in duobus spectatur: quia ius, quibusdam tribuitur. Ita necesse est, quod iustum sit, in minimis quatuor consistere. Inter quos enim ius est, duo sunt: in quibus cernitur, res duæ. Eademq; erit æquabilitas & parilitas, & eorum hominum inter quos ius est, & earum rerum in quibus ius spectatur. Vt enim inter se affectæ sunt res hæ, in quibus ius positum est: sic etiam ij inter quos ius est, inter se affecti sunt. Neque enim si pares non sint, paria aut præmia consequentur, aut supplicia dabunt. Aliter pugnæ hinc, criminationes, querelæq; nascuntur: si qui pares sunt dignitate, non æqua præmia: aut qui pares nõ sint, eis paria tribuãtur. Quod etiam ex eo perspici potest, quod cuique tribuitur pro dignitate. Nam quod ius positum est in tribuendo, id omnes confirmant pro dignitate esse oportere. Dignitatem autem non eandem omnes dicunt comparatam: sed in libertate eam ponunt, qui eam formam Reipubl. sibi proposuerunt, in qua populus præest: in qua pauci præsunt, in diuitiis, alij in nobilitate generis: qui optimorum Reipubl. statum sibi constituerunt in virtute. Quod ergo ius est, id proportione est. Neque enim solùm numeri, quo quid numeramus (μοναδικὸς Græcè dicitur) sed qui omnino dicuntur numeri (numeratum appellant) propria est proportio & comparatio.

Est enim proportio parilitas similitudoq́ue rationis, quæ in minimis quatuor reperitur. Ac deiunctam quidem proportionem perspicuum est in minimis quatuor consistere, itemq́ue coniunctam. Vnum enim in hac pro duobus adhibetur, bisq́ue dicitur: velut, quemadmodum A *ad* B, *sic* B *ad* C, *bis igitur* B *dictum est. Quocirca si bis ponatur* B, *quatuor erunt analoga: id est, quæ eandem inter se rationem habeāt. Atque etiam in quatuor minimis quod iustum est, cernitur, eademq́ue ratio est. Deiūcti sunt enim similiter ij quibus tribuendum est, & ea quæ tribuenda. Ergo vt est* A *extremum ad* B, *sic* C *ad* D: *vicissimq́ue vt est* A *ad* C, *ita* B *ad* D. *Ergo & tota ad tota, quod quidē coniūgit partitio. Quod si ita etiā componatur, rectè coniunxerit. Ipsius ergo* A *extremi cum* C, *& ipsius* B *cum* D *coniunctione ius quod tribuendo paritur, omne cernitur, estq́ue ius in medio eius quod non eandem habet proportionem atque rationem. Quod enim analogon est, idem mediū: quod autē iustum est, idem medium est analogon. Hanc proportionem vocant Mathematici geometricam, quòd in ea cōtingit, vt tota sic cum totis, quemadmodum vtraque cum vtrisque conferatur. Non est autem cōiuncta hæc analogia, propterea quòd non sit vnum numero extremum cui tribuitur, & quod tribuitur. Atque hoc quidem ius, analogon est: quod autem iniustum est, id contra proportionem est. Existit ergo hic plus & minus, quod quidem etiā in actionibus accidit. Qui enim alterū violat, boni plus adipiscitur: qui violatur, minus. Contrà fit in malis, propterea quòd leuius malum speciem quandam fert boni, si cum maiore cōferatur. Est enim minus malū potius quàm maius eligendū. Quod autem eligendum est, id bonum est: quod potius eligendum*

gendum est, id etiam maius bonum. Ac de vno quidem
4 institiae genere hactenus. Sequitur, vt de vna reliqua parte iustitiae dicamus, quae quidem in rebus quae contractae sunt emendandis cernitur, & voluntariis & non voluntariis. Huic autem generi alia quaedā pars subiecta est, atque superiori. Nā quod ius in diuidendis tribuendisq; publicis rebus consistit, semper in ea quam dixi proportione versatur. Hoc enim ipsum, si diuidūdae sunt publicae pecuniae, eandem rationem habebit quam habent inter se collatae pecuniae, eaq; iniuria quae huic iuri contraria est, à proportione discrepat. At verò ius id quod in contrahendis negotiis cernitur, quadā pars est aequitatis, & iniuria iniquitatis, sed tamen non ad illam analogiam seu comparationem, verùm ad arithmeticam pertinet. Nihil enim interest, vtrum bonus vir scelestum spoliauerit, an bonū improbus: necvtrum bonus, anne malus adulteratus sit: sed lex incommodi solum spectat dissimilitudinem, vtiturq; pro paribus, si alter violauit, alter violatus est: & si hic damnum dedit, ille accepit. Ideòque iniuriam hanc, quoniam iniqua est, ad aequitatem iudex & parilitatem conatur traducere. Nam cum hic verberatus sit aut interfectus, ille verberarit, aut etiā interfecerit: diuisa in aequalia perpessio & actio est, sed eam ad aequitatem damno redigere conatur: quaestu lucroq; detracto: vocatur enim in rebus eiusmodi, etiam si minus aptum quibusdam nomen videatur, in eo qui verberauit, lucrum & quaestus: in eo qui violatus est, damnum. Cum autem perpessionis grauitas ponderatur, hoc damnum, illud lucrū nominatur. Ita & eius quod amplius est, & eius quod minus, medium aequabilitas est. Illa autē vocantur lucrum & damnū,

quor

quorum illud amplius, hoc contrà minus: ac cum boni quidem plus est, damnum: cùm mali minus, lucrũ: quorum quidẽ medium æquabilitas est, quam eandem ius esse dicimus. Ergo ius illud quod ad emendandum valet, medium damni & lucri sit necesse est: Itaque cùm orta controuersia est, confugiunt ad iudicem: quòd confugere ad iudicem hoc sit, à iure præsidium petere. Profitetur enim se iudex legem esse loquentem. Conquirunt etiam iudicem omnes, qui medius sit atque perfectus, quẽ eundem nonnulli μεσίδιον, id est arbitrum honorariũ sequestremq́; appellant, quòd si quando medium consequantur, ius suum se putent obtinere. Medium ergo quiddã ius est, siquidem etiã iudex. Et iudex quidem ad æquabilitatem reuocat, similiterq́; facit, vt si linea in partes non æquas secta sit, & detrahat particulam, quâ maior præstat dimidiatam, eamq́; ad breuiorem addat. Cum ergo bifariam aliquid totũ sectum est, tum suum quisq; tenere se prædicat, cum ius æquabile obtinuit. Æquabile autem ius in medio positum est eius quod maius minusq́; est, proportione arithmetica. Ob eamq́; causam ius δίκαιον vocatur, (quod δίχα, id est diuisum sit, vt si quis vocet ius δίχαιον) & δικαστὴς, id est iudex, διχαστής. Si enim res duæ pares sint, ab earumq́; altera detrahatur quippiam quod ad alterã addatur: duabus his partibus præstabit alteri: Etenim si detracta fuisset, non etiam addita, profectò vna modò parte superaret. Dimidium ergo superat vna parte, & ipsum dimidium superat vna id, vnde pars illa ablata est. Hinc ergo perspicere possumus, & quid ei adimẽdum sit qui plus est consecutus, & quid addendum ei qui minus. Qua enim quisq; re medium præstat, ea addẽda illi est, qui minus tulit: & qua superatur, à maxima

xima est auferenda. Ponamus tres esse lineas æquas in-
ter se, AA, BB, CC. ab AA linea detracta pars AE adda-
tur ad CC lineam, appelleturq́; CD. Ita tota linea DCC,
lineam E A vincit parte C D, & parte C F. Ergo lineam
BB, parte C D, vincit. Quod etiam in aliis artibus cō-
tingit. Tollentur enim funditus, nisi & quantum, &
quale opus efficiat artifex, tantundem ac tale is qui pa
titur, patiatur. Profecta sunt autem damni & lucri no
mina à contractu voluntario. Nam vendendo, emēdo,
aliisq́; omnibus quæ lege concessa sunt, excolēdis, & tra
ctandis, si maiores opes adipiscare, quàm tuæ sint, is de-
mum quæstus ac fructus dicitur: sin minores quàm es-
sent initiò, damnum. At verò si neq; maiores neq; mino
res sunt, cōstantq́; sua cuique opes: tū se sua quisq; habe-
re confirmant, vt nec damnum acceperint, nec quicquā
profecerint. Quare in damni lucriq́; medio ac modera
tione ius positū est, quod non à voluntate interim pro-
ficiscitur, cùm & antè quàm res contrahatur, & post
quàm contracta est, æquabile ius obtinetur. Atque e-
5 tiam lex talionis videtur quibusdam iusta esse omnino:
in qua sententia Pythagorei fuerunt. Definiebāt enim
omnino id ius esse, quod vicissim quisq; pateretur. At-
qui ius hoc nec ad legitimum, neque ad ciuile pertinet.
Ciuile autem dico, id quod commune est inter ciues, &
ad communionem pertinet. Et lex talionis, nec ad ius
quod in tribuendo cernitur, nec ad id quod emendandi
causâ comparatum est, accommodatur. Atqui volunt
hoc quidem etiam Rhadamanthi ius dicere,

Si quod quisque facit, idem patiatur, erit ius.

Multis enim in locis id alienū esse videatur: veluti
si quēpiam magistratus violauerit, nō est referiendus.
Et si quis magistratui manus attulerit: non solùm refe
riendus,

riendus, sed supplicio etiam coercendus est. Praterea permultum interest, vtrum voluntate ac sponte nostra, an inuiti quid faciamus. Quinetiam in communicationibus, rebusq; cōtrahēdis, hoc ipsum ius talionis proportione, non aequabilitate concluditur. Vicissitudine enim factorum quae proportioni congruat, Respub. continetur. Aut enim retaliari iniuriam cupiūt homines: quod si minus contingat, seruitus videtur esse, nisi par pari referatur: aut parem gratiam referri: sin minus nō extat gratificandi & remunerādi vtrinq; volūtas. At qui accipiendis reddēdisq; vltro citroq; beneficiis stant ciuitates. Itaq; Gratiis delubra media vrbe consecrātur, vt referatur gratia: hoc enim gratiae est proprium. Est enim ei qui gratificatus est, referēda gratia, vt ille iterum ineat gratiam. Facit autem à media linea ducta cōiunctio, proportione remunerationem: veluti esto architectus A, sutor BG, domus C, calceus D. Architectū igitur necesse est à sutore ipsius opus sumere, eiq; suum tradere. Si ergo primū parilitas proportione extiterit, deinde vltro citroq; dādi accipiendiq; ratio, tum quod dixi extabit omnino: Sin minus, nec aequabilitas extabit, nec societas retinebitur. Nihil enim prohibet vnius esse opus, quàm alterius, praestātius. Decet igitur quidem haec omnia ad aequabilitatem referri. Quod etiam in aliis fit artibus. Tollantur enim omnes funditus, nisi quāti pretij, & quale opus artifex effecerit, tantidem & taleem at qui accipit. Neq; enim inter duos medicos intercedit cōmunicatio & societas: sed inter medicū & aratorē, atq; eos omnes qui diuersas inter se, ac dissimiles, nō easdē vitae degēdae rationes ingressi sunt, quos ad parilitatē decet aequabilitatemq; traduci. Itaq; res omnes oportet, quarū est cōtractus quadā inter se similitudine

tudine respondere. Quem ad vsum numus comparatus est: qui quoniam omnia metitur, idcirco mediū ac mensura quodammodo efficitur. Quocirca præstantiam etiam ac imminutionem metitur, vt quot tandē calcei, domus vel alimēti pretium possint adæquare, intelligatur. Æquum est igitur, vt architectus est ad sutorē, tot esse ad domum victumq́ calceos. Si enim id minus fiat, nec inter illos pactum intercedat, nec vlla communio. Quod si non sint quodam modo paria, non contrahent: ergo quemadmodum suprà dixi, vna re aliquā ponderanda sunt & æstimanda omnia. Idq́ reuera indigētia est, quæ omnia continentur. Etenim si nullo egerent homines, nihilq́ requirerēt, profectò aut nō similiter, aut nullum, aut certè non idem inter eos pactū conuentūq́ intercederet. Sed introductus numus est ex instituto, quasi inopiæ ac indigētiæ præsidio futurus. Ob eāq́ causam nomē duxit, quòd nō à natura, sed à νόμῳ, id est lege, numus sit ortus: in nobisq́ id sit, vt mutetur, reddaturq́ inutilis. Futurus est igitur tū demū locus reliquus legi talionis cum parilitas æquabilitasq́ seruabitur. Vt queadmodum est architectus ad sutorē, sic sutoris opus ad architecti. Non sunt autē ad formā ac speciem proportionis deducendi tum, cùm iam rem inter se contraxerint (nam aliter extremum alterū vtrunq́ præstantiam obtinebit) sed cùm sua quisq́ tenebit. Sic pares sociiq́ futuri sunt, propterea quòd iam inter ipsos hæc ipsa æquabilitas possit intercedere. Esto arator A, victus C, sutor B, opus illius ad parilitatem traductum D. Quòd si hoc modo nō & vicissim darēt & acciperent nunquam vllam rem inter se contraherent. Indigentia autem hæc omnia quasi vinculo quodam cōtineri, hinc intelligi potest, quòd cum vterq́ alterve nihil alterius desiderat, contractus inter eos nullus solet interuenire,

Quemadmodum cùm alicuius, verbi causa, vini penuria laborat quis, quo alter abundat: eo dato exportatur triticum: ita ad parilitatem sunt hæc reuocãda omnia. Futuri autem contractus, numus ipse, quasi fideiussoris loco est nobis, etiam tum cum nihil opus est contractu: quòd si sit opus, præsto sit futurus: ei enim qui illum portat, necesse est eius accipiendi potestas detur. Ac idem ille quidẽ patitur, (neq; enim semper æquum potest) sed tamen permanere potest diutius. Itaque debent rerum omnium certa esse pretia: sic enim contractus futuri sunt sempiterni: qui quãdiu futuri sunt, tandiu futura est hominum inter ipsos societas & communio. Numus igitur tanquã norma & regula, res aptè cùm dimensus est inter se, tũ adæquat eas, ad parilitatemq; traducit. Neque enim sublato cõtractu, consistere societas vllo modo potest, neq; contractui loci aliquid relinquitur æquitate sublata: neq; æquitate, sine apta quadam rerum inter se mensura & compositione. Ac verò, vt dicam, non possunt res tam inter se dissimiles vllo modo aptè inter se componi: sed quantum satis sit ad vsum necessitatemq; possunt. Vnum ergo aliquid necesse est adhiberi, idq; instituto: itaq; numus vocatur quod omnia aptè cõponat: siquidẽ nummo omnia ponderãtur. Esto domus A. libræ decẽ B. lectus C. atq; A sit ipsius B dimidium, vt domus quinque pondo aut tãtidem æstimetur: C autẽ, idest, lectus: pars sit decima ipsius B, id est numi: perspicuum est quidẽ, lectos quinque domus æquare pretium. Hoc etiam apparet, hanc rerum contrahẽdarum rationem, antequã numus inuentus esset, fuisse seruatam. Nihil enim interest, vtrũ lectica quinque pro domo, quanti quinque lectica valent, dentur, an pecunia. Ac quid iniustũ sit, quidq; in

stum,

stū dicimus. Quibus expositis, perspicuū est res iustas facere, medium esse inter facere & accipere iniuriam: quoniam illud est plus adipisci & obtinere, hoc minus. Sed iustitia mediocritas est illa quidem, nō tamē quomodo superiores virtutes, sed quia ad medium, id est æquabilitatem pertinet. At verò iniustitia in vtroque extremo posita est. Iustitia etiam virtus est, qua quis aptus est & propensus ad ea animi iudicio præstanda omnia, quæ iusta sunt, officiaq; tribuēda & sibi, si cum altero: & alteri, cū altero si confèratur: nōn ita tamen, vt sibi plus emolumenti, proximo minus, damni autem contra: sed vt suum cuique proportione tribuat. Itemq; alij ad aliū. Cōtraq; iniustitia in iniuria versatur, quæ eadem emolumenti ac detrimēti amplificatio & imminutio est, nulla habita ratione dignitatis. Itaq; nimiū & parum iniustitia est, propterea quòd in exuperantia & defectione consistat. Ac in sua quidem causa si agatur vtilitas, modum egreditur: sin detrimētum, deest moderationi. At si res aliorum agatur, de toto genere idē statuit: de eo autē quod abest à dignitate, vtcunque res feret. In iniuria autem quod minus est, accipere iniuriā: quod autem maius, facere dicitur. Ac de iustitia, & iniustitia quæ tandem vtriusque vis sit & natura, itemq; de toto genere iuris & iniuriæ, satis mul-

6 ta dicta esse arbitror. Quoniam autem fieri potest, vt quis iniuriam faciat, nec sit ipse iniustus: quam tandem iniuriam inferendo in quoque iustitiæ genere iā iniustus habeatur; vt adulter, aut fur, aut latro: ánne sic quidem intersit; quæstio est. Nam qui non animi iudicio vel ratione, verùm animi perturbatione ducatur ad contrectandā mulierem, sciēs quam contrectet: faciat ille quidem iniuriam, sed tamen nondū sit iniu-

ſtus: quemadmodũ nec fur, qui furatus eſt, nec adulter, qui adulteratus, itemq́ in cæteris. Ac iam quidẽ ſuprà quã rationẽ lex talionis ad ius haberet, explicauimus. Hoc autẽ ignorare nõ debemus, id ius quod quærimus, & omnino ius, & ciuile eſſe. Ius autem ciuile eſt, quod in ſocietate & cõmunione vitæ poſitum, eò adhibetur vt vel proportione, vel numeri ratione ſatis magna ſit multitudo hominum, qui liberi ſint, & æquo inter ſe iure viuant. Itaque inter quos hoc non eſt, inter eos ius ciuile, non eſt ius, ſed quoddã par ac ſimile. Inter quos enim iuris communio eſt, inter eoſdem etiam communio legis eſt. Inter quos porrò eſt communio legis, inter eoſdem ſocietas iniuriæ eſt. Iudicium enim iuris & iniuriæ diiudicatio eſt. Inter quos autem iniuria eſt, inter eos iniuriæ faciendæ communio eſt. Quibus autẽ inter eos iniuriæ faciendæ communis ratio eſt, non eſt etiam inter eos omnes communio iniuriæ. Quod cùm ſit, ſibi ipſi plus eorum quæ bona ſunt tribuere, & quæ mala ſunt, minus: idcirco nõ hominem imperare ſinimus, ſed rationẽ, quòd hæc ſibi ille ſumit, fitq́ tyrannus. Eſt autem cuſtos conſeruatorq́ iuris, princeps: quòd ſi iuris, & æquabilitatis. Et quoniã ſi iuſtus ſit, nihil ſibi præterea ſumit & attribuit (neque enim ſibi plus tribuat, quàm aliis eorum quæ per ſe bona ſunt, niſi habita ratione dignitatis) idcirco quæcunq́ agit, ad aliorũ commoda refert. Ob eãq́ cauſam in bonis alienis, vt ſuprà diximus, iuſtitiã numerant. Danda igitur merces aliqua eſt: quæ cùm ſint honor & gloria, quibus hæc non ſunt ſatis magna præmia, ij efficiũtur tyranni. Ius autẽ domini in ſeruos, vel patris in liberos, non idem quod illa, eſt: ſed ea imitatur. Neq́ enim cuiquã ſecũ omnino iniuriæ vllis in rebus cõmunio eſt. Atqui ſerui ac li-

beri quoad adoleuerint, diuisiq; sint, in membris patris sunt habendi: & sibi nemo vult obesse. Non est igitur cuiquam erga seipsum iniuriæ locus. Non igitur iuris & iniuriæ ciuilis societas & communio. Lege enim introducta sunt, interq; eos omnino illorũ societas est, inter quos natura legis communio est. Qui quoniã sunt ij, inter quos æquabilis quædam est imperandi parendiq; vicissitudo, idcirco inter virum & vxorẽ potius, quàm inter patrem & liberos, dominum & seruum cõmunio iuris est: quia in hoc ius domesticũ & familiare cernitur, quod aliud est atq; ciuile.
7 Ciuile autem ius aliud naturale est, aliud legitimum. Naturale est, cuius vis idẽ apud omnes valet, nõ quòd sic videatur, aut secus. Legitimũ autẽ id apellatur, quod initio nihil interfuit sic an secus fieret: cùm autẽ latum positũq; est, iã interest: veluti, captos mina redimi, aut caprã immolare, nõ duas oues: præterea quæ lege cauta sunt de rebus singulis, vt Brasidæ sacra facere, & quæ publicis decretis sãcita sunt. Atque hæc ratione nonnullorum eiusmodi sunt omnia: propterea quòd ea quæ quidem naturalia sunt, immutabilia sunt, & vbique idẽ valent (vt ignis hîc & apud Persas vrit) iura autem mutari videntur. Sed non ita est omnino, verùm quodammodo. Nam apud Deos quidem certè nusquam mutabile est, quod natura est insitum: apud nos autẽ quædam certè à natura insita & tributa mutantur, etiã si nõ omnia. Sed tamẽ aliud natura constat, aliud non natura. Quæ autem iura naturæ secus etiam atque sunt euenire possint, quæq; non natura, sed lege & pacto constẽt (siquidem vtrunq; mutari potest) hinc perspici licet: atq; ad cætera omnia eadẽ ratio accõmodabitur: quòd cùm robustior sit dextera natura, tamen fieri potest, vt omnes vtraq;

pro dextra vtantur. Ac iura ea quæ conuentis & vtilitate diriguntur, similia sunt mensuris omnia. Neque enim vbique terrarum æquæ ac pares sunt vini triticiq́ mensuræ: sed quo in loco emuntur, maiores: vbi venduntur, minores. Itemq́ iura nō naturalia, sed humana, nō idem vbique valent, quando ne res quidem publica, sed ea vna quæ vbiq́ vi & natura sua optima ducitur. Iura autē, & legitima iura eandē inter se habent rationē, quam res vniuersæ ad singulas. Quæ enim gerūtur multa sunt: illorum vnumquodque vnum, quoniam vniuersum quid & totū est. Differt autē ab eo quod iniustum est, iniuria, & rectè facta ab eo quod iustum est. Quod enim iniustum est, omne est vel natura, vel instituto: quod ipsum posteaquàm factum est, iniuria dicitur: prius quàm gestum sit, nōdum iniuria est, sed iniustum: quod cùm factum est, iā iniuria nominatur. Eadē est ratio rectè iusteq́ factorū. Sed tamen quod generale est, magis δικαιοπράγημα dicitur: & δικαίωμα, iniuriæ emendatio & cōpensatio. Quorum omniū quæ, quotq́ sint genera, quibusq́ in rebus versentur, mox

8 perspiciemus. Sed cum ea quæ iusta sunt, quæq́ iniusta, ea sint quæ exposuimus: tum quisq́ facit iniuriam, æquumq́ facit, cum voluntate sua facit: cum inuitus, nec iniuriā cuiquā infert, nec æquū facit, nisi fortuitò, quòd ea gerat, quæ vt iusta sint & iniusta, euenit. Atqui volūtate iniuria, & rectè facta definita sunt. Cū enim a volūtate proficiscitur, tū & in vitio est, & simul iniuria est. Ergo aliquid iniustū est, quod nō idē iniuria est, nisi volūtas accesserit. Dico autē voluntarium id, quod in sua quisque, vt dixi, potestate positum sciēs agit, nec enim ignorat, in quo versetur actio, nec quo quasi instrumēto rem agat, nec finem ipsum: vt verbi

verbi causa, quem verberet ac pulset, quoq; instrumēto, quaq; de causa pulset: atque illa non casu aut vi faciat, veluti si quis arrepta manu alterius eum pulset, non faciat ille sua voluntate: quandoquidem in eo situm nunquam fuit. Fieri etiam potest, vt & pater pulsetur, & is qui pulset, illum esse hominem, aut quempiam eorum qui adsunt, sciat, patrem autem esse nesciat. Quod idē & in fine, & in tota actione cōsiderandum est. At verò quod quisque ignorat, aut si minus ignorat, at certè non est in eius potestate, aut vi coactus facit, id omne inuitus facit. Multa enim eorū etiam quæ natura necessitas afferat scientes & gerimus, & sustinemus, quorū nihil nec voluntarium est, nec non voluntariū: quo in genere est mors & senectus. Atq; etiam in iis quæ iniusta sunt atque iusta, iustitiæ & iniuriæ similitudo versatur. Etenim si reddat depositū quis inuitus, aut metu coactus, is non dicendus res iustas facere, nec quod æquum est, nisi fortuitu & casu. Itemq; qui coactus, aut inuitus depositum non reddiderit, dicēdus est nō propriè iniuriā facere & agere quæ iniusta sunt. Eorum autem quæ volūtaria sunt, partim cōsultò, partim incōsultè facimus. Cōsultò, cum antegressa est deliberatio: inconsultè, cùm non est antegressa deliberatio. Cumq; in vitæ societate tria genera cernantur incōmodorum & iniuriarū, peccata imprudēs quis admittit, cùm admiserit in eū de quo nil tale cogitaret, nec quo id instrumēto ageret, neque quid quaq; de causa perficeret. Aut enim voluit nō pulsare, aut nō quo pulsauit, aut nō eū quē pulsauit, aut nō ea de causa quæ existimatur, sed forte fortuna accidit secus ac putarat, veluti non vt vulnus infligeret, sed vt pungeret: aut non quē putarat, aut non quemadmodum: cùm ergo inconsultò fit iniuria, infortunium &

casus dicitur: cùm autem non inconsultò, sed non de industria fit iniuria, peccatū nominatur. Tum enim peccat quisque, cum in eo inclusum causæ principium est. Infortunium autē infligit, cùm extrinsecus principium adhibetur. At cum sciens, nec tamen consultò aut cogitatò, iniuria dicitur, quo in genere ea sunt omnia, quæ ira, aut alia animi perturbatione fiunt, ea quæ necessariò, & à natura tributa est mortalibus. Nā qui his incitati, nocent aliis, ac delinquunt, faciūt illi quidē iniuriam, sed tamen non idcirco sunt iniusti vel improbi habendi. Neque enim nocēdi causā de industria illata iniuria est. At verò cum consultò & cogitatò fit iniuria, tū quisque iniustus & improbus habetur. Itaque rectè ea quæ per irā fiūt, non ex volūtate iudicātur: quippe cum non is autor ac caput mali sit, qui ira incitatus facit, sed qui incitauit. Præterea non id agitur, vtrū factum sit necne, sed vtrum iure, quoniā ira quādam speciem ferti niuriæ. Neque enim vt in conuētis & pactis solet, sic hic de facto controuersia est, quorū necesse est alterum esse in vitio, nisi obliuione impediti id faciant: sed concesso facto, omnis de iure controuersia est. At qui fecit insidias, is nō facit imprudēs. Itaque hic se putat iniuriā accipere, ille non putat. Qui si de industria noceat, facit iniuriā: & qui has iniurias infert, is quoniā contra dignitatē & æquitatem facit, iniustus est habēdus. Itemq; iustus is, qui animi iudicio & consideratè rem iustam gerit. Iustè autē facit, si modò sponte. Quæ autem iniuriæ à volūtate non proficiscuntur, earū aliis ignoscendum est, aliis non est. Iis enim omnibus, quas homines non solum faciunt imprudentes, verum etiam per imprudentiā, danda venia est. Quas autē inferū non per imprudentiam, sed imprudentes, perturbationibus

nibusq; animi incitati: quæ nec naturales sint, nec naturam attingant humanam, non est iis ignoscendum.

9 *Sed hic quærat aliquis, satisne accuratè de accipiẽda faciendaq; iniuria disseruerimus? Ac primũ, vtrũ sic est, vt Euripides absurdè tradidit,*

Quid sit cur matrem trucidauerim meam?
Est breuis quidem, non longa defensio:
Sponte volentem, vel volentem non volens.

Vtrum enim potest quis verè iniuriam voluntate sua accipere necne potest? an non hoc voluntariũ sit omne, quemadmodum facere iniuriam, volũtatis? & vtrum quicq; eorum sic, an secus? quemadmodum omnis est iniuriæ voluntaria illatio. An verò hoc voluntatis est, illud non est? Eadẽ est ratio patiẽdi iuris. Omnis enim iustè agendi ratio & institutio à voluntate proficisci tur. Itaque cõsentaneum est, vtrunque inter se opponi, iniuriam accipere, & iura pati, vt sit vtrunq; volũtatis, aut neutrũ. Atque etiã si omnis iuris patiẽdi ratio voluntaria sit, absurdum esse videatur. Sunt enim quibus inuitis iura tribuantur. Nam hoc etiam cuipiam dubiũ videatur, vtrũ qui iniustè aliquid tolerat etiam accipiat iniuriam: an verò vt faciendo, sic in perferẽdo est? Casu enim fieri potest, vt iuris vtrunque sit particeps. Quod idem cernere licet in rebus iniustis. Neq; enim idem est, quæ iniusta sunt facere, quod iniuriã facere: nec quæ iniusta sunt ferre, quod accipere iniuriã. Eadẽq; est ratio tribuẽdi accipiẽdiq; iuris: vt enim iniuria accipi non potest, nisi sit qui inferat: sic nec ius tribui, nisi sit qui tribuat. Quod si iniuriam facere nõ est aliud omnino, nisi sponte nocere quẽpiã alteri: ac sponte quidẽ ita, vt sciat & cui noceat, & quamobrẽ, & quo quasi instrumẽto noceat: impotentes autẽ sponte ac vo-

luntate sua de se ipsi male merentur: efficitur, vt sponte accipiatur iniuria, & sibi quis spōte iniuriam inferat. Est autem hoc vnū eorum quæ quærebamus, vtrū fieri possit, vt quis sibi ipse faciat iniuriam. Iam verò sponte etiam aliquis per animi impotentiam incommodum ab alio qui paratus est dare, accipiat. Ergo fieri potest, vt voluntate sua quis iniuriā accipiat: aliter non vera est definitio: addendumq́ eò est; obesse quempiam sciētem cui noceat, qua re, quoq́ modo noceat, contra illius cui obsit voluntatem. Incommodum igitur quis sua voluntate accipit, & rem iniustā perfert. At iniuriam nemo sponte sua accipit. Nemo enim vult, ne impotētes quidem: sed quicquid faciunt, id omne contrà ac volūt faciunt. Neque enim vult quisquam, quod sibi bono esse non arbitretur. Et impotens animi facit, quod sentit non esse faciendum. Nec verò qui sua dedit (quemadmodum Homerus ait de Glauco, Diomedi

Arma autúmque dedit pro ferro)

iniuriam accipit: quādoquidem vt det, in ipsius situm est potestate. At non est in cuiusquam situm potestate, vt iniuriam accipiat, sed alter sit oportet qui inferat. Illud ergo iam apparet de accipienda iniuria, eā non esse voluntatis. Duo iam supersunt ad dicendum, ex iis quæ nobis proposuimus, vter tandem iniuriā facit, isne qui plus tribuit cōtra dignitatē, an is cui distribuitur. Et vtrum fieri potest, vt quispiā sibi ipse iniuriam inferat. Si enim fieri potest quod priore loco positum est, & si is qui diuidit, non qui accipit nimium, facit iniuriam: si quis alteri plus tribuat quàm sibi sciēs & prudens (id quod vsu venit modestis, si quidem vir bonus de iure suo decedere solet) is profectò de se ipse malè meretur. Aut ne hoc quidem omnino est. Plus enim sibi sumat

mat alterius boni, vt gloriæ; si ita res ferat, vel eius quod omnino bonũ est. Quod etiã ea definitione explicatur, quæ de inferenda iniuria præposita est. Nihil enim ei accidit contra ipsius voluntatẽ. Ergo non si minus sumat, idcirco accipiat iniuriã, sed solũ afficitur incommodo. Hoc tamẽ apparet, eũ qui diuidit ac dispertit res ciuitatis, inferre aliis iniuriam: nõ eum semper, qui plus quàm cæteri adipiscatur. Neque enim in quo inest quod iniustum est, is iniuriam facit, sed is qui hoc efficit sua voluntate. Hoc autẽ in eo est vnde sumit initium actio, quod in eo est qui diuidit, nõ in eo qui accipit. Præterea si faciẽdi multi modi sint, fieri potest, vt & res inanimæ, & manus & seruus iussu domini interficiant, nec tum faciant iniuriã, cum interim res iniustas faciant. Præterea si quis imprudens & ignarus iudicium tulit, non faciat ex iure legitimo iniuriã: nec sit illud iniquum iudiciũ, quanquam sit tãquã iniquum. Aliud enim ius est legitimum, aliud primũ. Sin autem sciens & prudens iudicium iniquum interposuit, fines transit æquitatis, aut in venia dãda, aut in sumẽdo supplicio, vt si quis in partem venerit sceleris & iniuriæ: etiã is qui his de causis iniquũ fert iudiciũ, plus adipiscitur. Nam cum fundũ alicui adiudicauit, nõ agrũ accepit, sed argẽtũ. Homines autẽ in sua esse potestatẽ putant, vt faciãt iniuriã: Itaq; facile aiunt virum iustũ effici: sed non ita est. Nam & cũ vicini vxore cõcũbere, & verberare proximos, & largiri manu argentũ, facile est, & in eorũ situm potestate. At verò ita animo affectos hac ipsa præstare omnia, neq; facile est, neque vt ita efficiant, in eis situm est. Similiterq; & quæ iusta sunt cognosse; & quæ iniusta, in nulla parte sapientiæ ponunt, proptereà quòd non sint difficilia cognitu, ea

quæ iubent leges, aut vetāt. Sed tamē non sunt hæc ipsa in iustis numerāda, nisi fortuitò: verùm ita demū iusta sunt, si quodā modo gerantur, certoq; genere diuidantur. Quod quidem præstare multò maioris negotij est, quàm quæ salubria sunt tenere, & cōprehendere. Nam illic etiā mel quid sit, quid vinū, elleborus, adustio & incisio, facile est intelligere: at ea quemadmodū accommodatè ad valetudinē adhibēda sint, & cui, & quando, tam difficile est, quàm verè medici nomen obtinere. Ob eamq; causam iusti viri aiunt esse, nihilo minus facere iniuriā, quòd nihilominus, aut facilius potius hæc omnia præstare possit. Et enim & cōtrectare mulierem posse, & violare alios iustum hominem, & fortem clypeum abijcere, & dato tergo quò libuerit fuga elabi. At ignauum se præstare, & iniuriam facere, nō est illa quidem efficere, nisi fortuitò, sed si quis animo certo quodammodo affectus ea faciat. Vt mederi & curare non est incidere, aut non incidere, curationē adhibere, aut nō adhibere: sed certo quodam modo, hæc ipsa præstare. Inter eos autē iuris societas est, inter quos eorum quæ omnino bona sunt, communio est. In his verò & exuperātia quædam versatur, & defectio. Nā in quibusdam, vt certè in diis, non est eorū bonorum immoderata copia. Aliis autē vt insanabilibus & deprauatis hominibus nulla ex parte sunt vsui, sed obsunt omnia: aliis prosunt aliqua ex parte, quòd naturam attingāt
10 *humanam. Sequitur vt de æquitate, æquoq; & bono disseramus, quam tandē æquitas ad iustitiā rationem, quam æquū & bonū ad ius habere videātur. Nō enim si qui diligēter velint exquirere, omnino ad idē aut diuersum genus pertinere videbuntur. Interdū æquū & bonū laudamus, atque eū hominē qui eius studio tenentur.*

tur. Itaque ipsum in laude solemus, interim in aliis re-
4 bus pro bono vsurpare: atque quod ex æquo & bono est,
idē melius esse iudicamus: alias alienū videatur iis qui
rationē consectātur, æquum & bonum, quod iuri repu-
gnet, esse laudabile. Aut enim ius bonum non est, aut
æquū & bonum ius non est: si aliud est: aut si ambo sunt
in bono, eadem sint necesse est. Atque hæc quidem ex his
rationibus de æquo & bono exorta quæstio est. Quæ
consentanea sunt omnia quodā modo, nec vlla ex parte
inter se pugnant. Nam æquum & bonū cum alicui iuri
accommodatur, tū ius ipsum melius est: nec iā quasi ad
genus quoddam aliud pertineat, iure est præstātius: Idē
est igitur ius quod æquum & bonum. Etenim cùm sint
ambo in bonis, tamen præstat multò æquum & bonum.
Sed hoc dubitationem habet, quòd cū æquum & bonum
ius sit, non tamen ius legitimum est, sed iuris legitimi e-
mēdatio. In causa est, quod lex est generalis omnis: quæ
quoniam de toto genere nonnullarum rerum commodè
loqui non potest, cum sit necesse de toto genere dicere,
nec id effici rectè possit, id vnum accipit & designat,
quod plerunq; solet contingere, non ignara peccati, &
tamē rectè lata est, quippe cùm culpa sit non legis qui-
dē, nec legislatoris, sed rerū agēdarum naturæ, quæ sta-
tim est eiusmodi. Cum ergo de toto genere lex dicit, at-
que aliquid iis in rebus contra generalē legis comprehē-
sionem existit: tum percommodè accidit, vt qua parte
scriptor legis aliquid prætermisit ac peccauit, omnino
ac semel locutus, id quod prætermissum sit, corrigatur.
Quod etiam legislator si adesset, admoneret etiā si iam
legem tulisset. Itaque est ius illud quidē, & quodā iure
præstantius: non eo tamen quòd omnino ius est, sed eò
quòd propter peccatum generale à perfecto aberrat.

Atq; in hoc vis omnis æqui & boni posita est,vt correctionem quandam legi adhibeat,quia ab ea abest aliquid propter generalem sine exceptione comprehensionem. Cur enim lege non caueantur omnia, causa est quòd de quibusdam omnino lex ferri non potest. Quocirca decreto opus est. Incertæ enim rei ac infinitæ, incerta semper & infinita quærēda regula est:vt Lesbiæ structuræ plumbea norma solet accommodari. Vt enim lapidis mutata formā & figura,simul mutatur,nec manei regula:sic rebus mutatis nec manentibus, decreta tolluntur. Ac iam illud quidem perspicuum est,quid sit æquum & bonum, quidq; ius & quo sit iure præstantius. Ex quo etiā apparet,quis sit bonus vir. Nam qui hæc sequitur,geritq; omnia, quiq; nō est in malam partem iudex durior,sed de suo iure decedit,etiāsi habeat legis præsidium, is æquus & bonus est habendus. Et habitus in hoc genere æquitas nominatur,quæ eadem iu-
11 stitia dicitur,non alia animi affectio. Ex iis autem quæ dicta sunt,perspicuum est,vtrum quis sibi ipse iniuriam facere, nécne potest. Ea enim iusta habenda sunt quæ in omni virtute lege sunt cōstituta:vt nō iubet lex mortem sibi quenquam consciscere. At quæ non iubet, ea profectò vetat. Præterea vt quisque cōtra leges nocet cuipiam,non lacessitus,ita sponte inferre iniuriā dicitur. Sed ita demum sponte ac voluntate sua quisq; facere intelligitur,si sciat & cui iniuriā faciat,& quo modo. Qui autē se ipse ex dolore interimit,is sponte contra leges facit,quod leges non sinūt. Infert igitur iniuriam,sed cui tandem? An Reip.nō sibi? quādoquidem sua voluntate fert mortem,nec quisquam sponte iniuriam accipit. Itaq; & à Repub.pœna constituta est,& ignominia quædam comparata in eū,qui se ipse interfecerit,

cerit, tanquam violauerit Remp. Iam verò in quo quisque, iniuriam tantummodo faciens, iniustus habetur, non omnino improbus, in eo fieri non potest, vt de se quisq; malè mereatur. Hoc enim aliud est atque illud. Est enim quodammodo iniustus vir sicut improbus, vt ignauus, nō vt is qui omni scelere sit contaminatus. Quapropter hac iniustitia nemo sibi faciat iniuram: quoniam simul eidem & adimeretur idem & adderetur: quod fieri nō potest, sed inter plures iuris & iniuriæ necesse est semper esse communionem. Iam vt quisque alterum violat, ita & spōte violat, & consultò, & prior. Nam qui ab altero violatur, parq; refert, is iniuriam minimè facere videtur. Qui autem se ipse interimit, eādem iniuriam simul & facit & accipit. Prætereà fieret alicui volūtate sua iniuria. Ad hæc nemo quēquā violat, nisi certo genere peccati. Atqui nemo vxori suæ inferre stuprum dicitur, nemo parietem suum diruere, nemo sua furari. Nam hoc ipsum sibi quēque nocere, omnino diluitur ac refellitur, ea quæ de spōte facienda iniuria tradita est definitione. Illud autem etiam apparet vtrūque, facere & accipere iniuriam esse in malis: quoniā minus & plus obtinere mediocritatis est, veluti in medicina valetudinis, & in gymnastice bonæ cōstitutionis: sed tamē grauius est facere iniuriam. Violare enim alterum, cum scelere cōiūctum est, & vitio dādum, ac cum scelere vel summo, vel ei proximo. Nō enim quicquid voluntarium est, id omne cum iniustitia coniunctum est. At verò iniuriam accipere, nec culpa caret, nec cōiunctum est iniustitiæ. Est igitur per se leuius iniuriam accipere. casu & fortuito nihil prohibet esse grauius: Sed hæc ars negligit omnia, quæ grauiorē morbum pleuritidem statuit, quam pedis offensionem

quanquam possit hæc fortuito maior existere: vt si quis ex casu ab hostibus captus interimatur. Atqui nullæ est cuiquam secũ iuris societas & communio, nisi similitudine & trãslatione vtamur: sed est omnino inter eos, qui ad quenque pertinent & spectant: nec verò ius omne est, sed id quod est domini in seruos: vel patris in liberos. His enim rationibis quidem differt maximè pars animi, quæ rationis est particeps, ab ea quæ expers est. Quæ contemplantes nonnulli, sibi cuiq; iniuria putant esse societatem, quòd hæ partes aliquid perpetiantur contra suas quæq; appetitiones. Quare inter eas, vt inter eam quæ imperet, & eam quæ obtemperet, iuris eiusdem esse communionem. Ac de iustitia quidem, cæterisq; virtutibus, quæ ad mores pertinent, hactenus.

ETHICORVM ARISTOTELIS LIBER VI.

I QVONIAM *autẽ superioribus libris dixi, modum tenẽdum esse, non exuperantiam & defectionem à ratione, quoniamq; modus is optimus est quem recta præscribit ratio: nunc de his sequitur vt differamus. Est enim iis omnibus animi affectionibus, de quibus dixi, quemadmodum in cæteris rebus, finis quidam propositus, quem intuẽs omnis qui rationis est particeps, vel consequitur vel ab eodem aberrat: estq; modus ac finis quidam mediocritatum, quas nos inter nimium & parum sitas esse, ex præscriptione rectæ rationis dicimus. Quæ vera est illa quidem oratio, sed parum aperta & explicata. Etenim cæteris in rebus omnibus, quarũ est disciplina, hoc verè licet dicere, non plus minusue labo*

ris

ris & quietis, quàm ſat ſit, ſuſcipiendum eſſe: verùm modum in iis tenēdum, quem recta ratio præſcripſerit. Quod qui ſolum teneat, nihilo ſit doctior aut prudentior futurus. Vt ſi quæratur, quænam valetudini conducant? aliquis reſpōdeat, ea omnia quæ medicina iubeat, atq; is qui ea ſit præditus. Quapropter non ſolùm verè cōſtare debēt quæ de animi affectionibus diximus, ſed explicandum etiam quænam recta ſit ratio, quæq; eius definitio. Animi quidē virtutes diuiſimus, aliasq; moris diximus, alias eſſe rationis. Ac de iis quæ more perficiūtur, diſſeruimus. De cæteris autē dicemus, ſi prius de animi partibus dixerimus. Suprà dictum eſt, duas eſſe partes animi, alteram rationis participē, expertem alteram. Nunc eodem modo, ea pars quæ compos eſt rationis, diſtribuenda eſt. At illud præponendū eſt, duas eſſe partes rationis participes: vnam, qua res contēplamur eas, quarum principia ſecus euenire non poſſunt: alteram, qua eas quæ poſſunt. Ad ea enim quæ genere differunt intelligenda, etiam partium animi ea quæ genere differt, nata eſt: ſiquidem eis rerum ineſt cognitio ſimilitudine quadam & conuenientia. Appelletur autem altera vis ſciendi, ratiocinandi colligēdiq; altera: quoniā deliberare & ratiocinari idem valent. Et quoniam de iis nemo conſultat, quæ ſecus ac caſura ſunt, cadere nō poſſunt: idcirco pars eſt vna aliqua vis ratiocinandi eius partis animi, quæ rationis eſt particeps. Videndum eſt igitur, quis tandē ſit vtriuſq; habitus optimus, quoniam in eo vtriuſq; virtus cernitur, & ad ſuū
2 quæq; virtus opus officiumq; accommodatur. Sunt autem in animo tria quæ in actione ac veritate dominātur; ſenſus, mēs, & appetitus, quorū ſenſus nullius eſt initium actionis. Quod ex eo intelligitur, quia belluæ

ſunt

sunt illæ quidem sensus participes, actionis autem non sunt. Quam autem vim habent in mente affirmatio & negatio, eandem etiam habent in appetitu adeptio & fuga. Quare quoniam virtus quæ more perficitur, habitus est ad eligendum idoneus: propositum autem appetitio est, quam antegressa est deliberatio: necesse ob eam causam & veram esse rationem, & rectum appetitum, siquidem rectum sit propositum: eamq; ipsam rationem præcipere, & parere ac persequi appetitionem. Est igitur hæc mens & veritas omnis in agendo. At verò mentis eius quæ cognitione cernitur, nō actione aut affectione, omnis est in falsi veriq; cognitione posita præstātia, & vitiositas. Omni enim rationi ac menti hoc opus propositum est. Cuius verò mentis omne opus in agendo & in ratiocinando est, eius est appetitioni rectæ congruens propria veritas. Est igitur actionis omnis principium propositum & consilium, ex quo motio nascitur, non finis & extremum. Eligendi autem principium ab appetitione petēdum est, eaq; ratione quæ ad finem pertinet. Quocirca sine intelligentia, sine mēte, sine appetitione, quæ more perficitur, esse propositū nullo modo potest. Sublata enim mente & more, honestè factis & contrariis inter actiones humanas nihil loci relinquitur. Nihil autē ratio hæc commouet, sed ea quæ ad finem spectat, estq; in agēdo, quippe cum ei etiam cuius omne opus est in faciendo, imperet. Ad hanc enim omnes qui affectionem consequuntur, quæ faciunt referūt omnia: nec finis in eo statuitur omnino, quod sub affectionem cadit, ipsumq; aliò semper refertur, estq; alterius propriū. At quod sub actionem cadit, non item. Est enim officij, rectèq; factorum omnium fructus ac finis ipsum officium, & actio ad

quam

quam appetitio refertur. Quapropter aut intelligentia ad appetendum commouens est propositum, aut appetitio à ratione profecta: cuius rei homo initium est. Eorum verò quæ præterita sunt, omnino nihil sub delectum cadit. Veluti nemo vult Ilium expugnare: nec enim quisquam de præteritis deliberat, sed de futuris, iisq́ omnibus quæ fieri possunt. Quod autem factum est, ac præterijt, non potest non factum esse. Itaque præclarè hoc Agatho,

Hoc tantum modo negatum est Dei numini,
Præterita vt præstet nullo facta esse tempore.

Quocirca vtrique parti rationis cogitationisq́ participi, quasi materia quam tractet, & in qua versetur, subiecta est veritas. Quibus igitur animi affectionibus vtraq́ pars verum enuntiat, hæ ambarũ sunt virtutes
3 *habendæ. De quibus disseremus, si altè principium repetierimus. Sint quinque, quibus animus verũ enuntiat vel affirmando, vel negando: ars. sciẽtia, prudẽtia, sapientia, & intelligentia. Fieri enim potest, vt falsum suspicione & opinione dicatur. Ac scientia quidẽ quid sit, hinc perspicuum est (si accuratè disputare, non consectari similitudines placet) quòd omnes existimamus, quæ scimus, secus euenire non posse. Quæ autem aliter possunt, ea cum absunt à cognitione & contẽplatione, sint, nécne sint, incertum est. Quod ergo sub scientiam cadit, id omne æternum est. Quæ enim necessariò eueniunt, sunt sempiterna omnia. Quæ autem æterna sunt, eadem oriri & interire non possunt. Præterea scientia omnis tradi videtur posse: & quicquid sub scientiam cadit, doceri. Atqui ex anteceptis animo rei informationibus queadmodũ in Analyticis docuimus, omnis doctrina gignitur. Alia enim inductione, alia ratiocina*

tione traditur. Ac inductione quidē principia & vniuersa discuntur: ratiocinatio verò principiis generalibus & vniuersis conficitur ac progreditur. Sunt ergo principia quibus constat ratiocinatio, quæ eadem concludi ratiocinatione non possunt: ergo inductione possunt. Est igitur scientia habitus, in quo vis quædam ad demonstrandum est posita, & cætera omnia quæ in libris Analyticis explicauimus. Cum enim assentitur quisque quodam certo genere, habetq; penitus cognita principia: tum scire ac tenere rem dicitur. Etenim si ea non habeat magis cognita, quàm conclusionē, fortuitā habebit scientiam. Ac de scientia quidem sic dictū sit.

4 Quod autē aliter cadere potest, eius est aliquid, quod sub effectionē & actionem cadit: estq; aliud artis effectio, aliud actio. De quibus etiam ἐξωτερικοῖς disputationibus satis multa præcepimus. Itaq; & habitus is qui in agendo cum ratione est, ab eo differt, qui rationem ducē in faciendo sequitur, & neuter ab altero continetur. Neque enim actio affectio est, neq; effectio vlla actio. Et quoniā architectura quædam ars est, & habitus quidam cum ratione in faciendo positus, neque ars vlla est, quæ nō sit habitus cū ratione in faciēdo, neque habitus ex eo genere, qui nomē artis non obtineat: efficitur, vt ars & habitus cum ratione vera in faciēdo positus, idē valeat. Ars autē omnis in ortu versatur, idq; vnum agit & spectat, quemadmodum efficiatur quicq; eorum quæ & esse & nō esse possunt, quorūq; principium situm est in eo qui facit, non in eo quod efficitur. Non enim tractat ars ea quæ stant, vel eueniunt necessariò: nec in iis quæ à natura ortum habent, versatur. Continent enim principiū hæc in seipsis omnia. Quādo autē effectio & actio inter se diuersæ sunt necesse est arti

effect

effectionem subiectam esse, nõ actionẽ: quodamq́ modo in iisdem rebus ars & fortuna versantur, vt placet Agathoni,

Fortuna chara est arti, ars quoque fortunæ.

Est igitur ars, habitus, vt dictũ est, ad faciendũ aliquid vera cum ratione idoneus. Inscitia cõtrà, habitus cum ratione falsa faciendi quippiã, quod aliter euenire potest.
5 *Prudẽtia verò quid sit, ita intelligemus, si quos nominemus prudentes, cognorimus. Prudentes quidem videntur ex eo esse, quòd rectè cõsiliũ in iis capere possint, quæ è re sua sunt, quæq́ nõ aliqua ex parte, vt quæ ad valetudinẽ, aut vires, sed omnino ad bene viuendi rationẽ pertinẽt. Quod ex eo intelligi potest, quia prudẽtes in re aliqua dicimus, cũ ad honestũ finẽ rectè ea dirigũt, quæ arte nõ possunt effici. Quocirca valeat prudens omnis cõsilio necesse est. Et quoniã consiliũ nemo in iis rebus capit, quæ aliter euenire nõ possunt, neq́ de iis quæ ab ipso nequeunt effici & præstari, quoniãq́ sciẽtia omnis demõstratione cõcluditur, demõstratio autẽ ad ea nulla adhibetur, quorũ principia secus euenire possunt (ea enim omnia euenire aliter queunt: quæ autẽ necessariò eueniũt, nõ cadũt in deliberationẽ) efficitur, vt nec sciẽtia, nec ars prudẽtia esse possit. Sciẽtia quidẽ quia quod subiectum sub actionẽ, aliter euenire potest: ars, quia alius actioni, alius effectiõi artis finis est propositus. Relinquitur ergo, vt sit habitus vera ratione ad ea agenda idoneus, quæ vitæ hominũ conducũt, vel obsunt. Nam effectioni alius est quidam propositus finis: actioni nõ itẽ: quoniã ipsius honestæ actionis & officij finis est ipsum officiũ. Ob eãq́ causam Periclẽ, cæterosq́ tales homines, prudẽtes existimamus, quòd suæ aliorũq́ vtilitati consulere possunt: quo ex genere esse rei fami-*

liaris,reiq́ publicæ administrandæ vsu peritos arbitramur. Hinc etiam σωφροσύνην, id est temperantiam hoc appellamus nomine, ὡς σώζουσαν τὴν φρόνησιν, id est quasi cõseruantẽ prudẽtiã. Conseruat enim hanc illa cõprehensionem. Neque enim omnẽ comprehensionẽ labefactat, neq; peruertit voluptas aut dolor, vt hanc: Triangulum duobus rectis pares haberi, aut nõ habere angulos, sed eas duntaxat, quæ in eo quod sub actionẽ cadit, versantur. Rerũ enim agẽdarũ principia ob eo petuntur, quò res agendæ referendæ sunt. Cuius autem à voluptate aut dolore corruptus est & deprauatus animus, ei statim principium nõ apparet, neque ei videtur huius causa, & propter hoc expetenda gerendaq́ omnia. Est enim in vitio magna vis ad labefactãdũ principiũ. Quapropter necesse est prudentiam animi affectionẽ esse, vera cum ratione cõiunctã, quæ vim habeat ad ea gerẽda omnia, quæ ad vitam degendam pertinẽt. Artis autem virtus est aliqua propria: prudentiæ non est. Et qui in arte voluntate sua aberrarit, præstantior est: in prudentia minus, quemadmodũ etiam in virtutibus contingit. Perspicuum est igitur, virtutem eam esse, non artẽ. Cumq́ animi partes sint duæ rationis participes, altera pars sit necesse est vis in qua opinio versatur. In iis enim quæ secus cadere possunt, & opinio versatur, & prudẽtia. Atque hunc habitum non esse coniunctum solum cum ratione, hinc intelligi potest, quòd hæc ipsa
6 obliuione deletur affectio, prudentia nõ deletur. Quoniam autem scientia omnis quædam rerum vniuersãrũ comprehensio est, earumq́ omnium quæ sunt necessaria: quoniamq́ ex initiis & principiis oriuntur, quæ sub demõstrationem cadunt, omnisq́ scientia (ratione enim scientia progreditur) profecto necesse est principium

pium eius rei quæ sub scientiam subiecta est, neq; scientia, neque arte, neque prudentia contineri. Nã & quod subiectum scientiæ est, demonstratione concluditur: & illæ in iis rebus versantur, quæ aliter euenire possunt. Ne sapientia quidem in his cernitur, quandoquidem nonnullarũ rerum eget sapiens demonstratione. Quòd si scientia, prudentia, sapientia, & intelligentia hæ res sunt quibus verum enuntiamus, nec vnquam mẽtimur iis in rebus quæ vel possunt, vel non possunt aliter cadere: eorum autem trium in nullo intelligentia esse potest (tria dico, scientiam, sapientiam, & prudentiam) relinquitur, vt in principiis intelligentia initiisq; cer-
7 *natur. Sapientiam verò iis reddimus, qui in quaque arte excellunt maximè, vt Phidiam sapientem lapidũ sculptorem & Polycletum statuarium sapientem nominamus. In quo sapiẽtiã nihil aliud esse significamus nisi artis virtutẽ & præstantiã. Sed quosdam sapientes omnino ducimus, nõ aliqua ex parte, nec aliqua alia in re sapientes, vt Homerus in Margite,*

Hic non agricola est diuino munere factus,
Nec re alia sapiens.

Quapropter perspicuũ est, reliquis scientiis perfectione & absolutione præstare sapientiam. Ergo sapiẽtis est, non solùm ea intelligere, quæ principiis cõcluduntur, sed rerum etiam causas tenere: vt sit sapientia, intelligentia, & scientia, quasi caput continens eorum omniũ scientiã, quæ in maximo honore sunt & pretio. Nam & illud perabsurdum sit, aliquẽ esse, qui ciuilem scientiã, aut prudẽtiam optimam existimet, nisi homo rebus omnibus quæ in mũdo sunt, bonitate præstare dicatur. Quòd si salubre hominisq; ac pisciũ bonũ aliud est, album autem & rectũ idem est semper: certè omnes

idem sapientem esse, prudentem aliud cõstituent. Qui enim rectè rebus rationibusq; suis consulit, omnes eum prudentem nominãt, eiq; se ac sua omnia committunt. Itaq; in quibusdam beluis prudentiam inesse dicimus, iis quæ vi quadã prædita sunt ea congerendi, quæ ad vitam degendam pertinent. Ciuilem autem scientiam nõ esse idem quod sapientiam, hinc etiam perspici potest: quòd si eam sapientiam statuãt, quæ suis cuiusq; emolumentis vtilitatibusq; seruiat, multæ sunt futuræ sapientiæ. Neq; enim vna eademq; in commodis cõparandis occupata est omnium animantiũ, sed alia in vnoquoq; genere: nisi fortè vna medicina rebus omnibus adhibetur. Neque verò si homo præstare cæteris animantibus dicatur, quicquã interest. Sunt enim homine alia multò diuiniora natura, quo in genere sunt ea quæ maximè collucent, ex quibus cõstat mũdus. Ex iis ergo quæ dicta sunt, perspicuum est, sapiẽtiã scientiã esse ac intelligentiam eorũ omniũ quæ maximo sunt in honore & pretio. Quocirca Anaxagorã, Thaletem, cæterosq; tales sapientes nominant, prudentes non item, cùm eos cernant quæ ipsis vtilia sint, ignorare. Quos eosdẽ tenere ac scire aiunt res minus necessarias, illas quidem & admirabiles, arduas & diuinas, sed inutiles, quòd ea non quærat, quæ hominibus prosint. Atqui in iis rebus prudentia cernitur, quæ hominũ vitæ sunt necessariæ, iisq; omnibus quæ in deliberationem cadũt. Prudentis enim maximè propriũ esse dicimus, bene deliberare. De iis autẽ nemo deliberat, quæ secus cadere non possunt, neq; de iis quæ ad finem non referũtur, in quo situm sit quod agendum est bonum. Omnino autem is ad capiendum consilium aptus est: qui ratione potest quod homini summum bonũ agendum sit, exquirere. Nec verò in vniuer-

sis modò rebus prudentia versatur, sed notæ etiam esse debent res singulæ, cum in agendo posita sit, & in rebus singulis omnis actio consistat. Itaque ad rem gerendam nonnulli sunt inscij artificibus & doctis instructiores, & cæteris in rebus exercitati. Nam qui sciat carnes leues, & faciles ad concoquendum, & salubres esse, is si quæ leues sint ignoret, nunquam valetudinem efficiet: sed is potius, qui auium carnes leues esse & salubres intelligat. Est autem in agendo sita prudentia: utraque igitur tenẽda cognitio est, aut hæc potius. Sed
8 *tamẽ sit etiam hic quadã quasi architectonice. Sunt autem & ciuilis scientia, & prudentia, idem animi habitus, ijsdẽ autem non est vis eadẽ, neque natura: Eius quidem quæ in publicis rebus versatur, vna pars, quæ quasi architectonice prudentia est, legum ferẽdarum ratio dicitur: altera quæ priuatim in rebus singulis versatur, commune ciuilis scientiæ nomẽ obtinet, cuius omne opus est in agendo & consulẽdo. Nam decretum habet sibi quasi finem propositum ad agendum. Itaque hos aiunt solos administrare Rempubl. quòd vt ij qui manibus artis opus efficiunt, sic ij soli rem gerant. Maximè verò prudentia videtur ea, quæ vni sibi quisque rebusq; suis consulit, quæ eadem iam habet commune nomen prudentiæ. Illarum autem alia domestica, alia ars legum ferendarum, alia ciuilis nominatur. Atque huius alia pars ad deliberationes, alia ad iudicia pertinet. Ac genus quidem prudentiæ in eo quoddam est, vt quod è re cuiusque sit, intelligatur. Sed magna sunt eius differentiæ ac dissimilitudines: videturq; is demũ prudens, qui rebus rationibusq; suis prospicit, in iisq; curãdis occupatus est. At verò qui in Repub. versantur, multis negotiis implicantur. Itaque Euripides ait:*

Qui nanque prudens sim? licebat cui procul
A negotiis remoto numerarier
In milites, æquóque iure viuere?
Nam qui celebres sint, iniquo viuere.

Consulunt enim omnes sua quisque vtilitati, idq́ se vnum agere putãt oportere. Quæ ex opinione natũ est illud de prudentibus, quanquã suũ quisq́ tenere. subla ta rei familiaris disciplina & Reipu. nullo modo certè potest. Iam verò sua cuique res quemadmodũ administranda sit, incertum esse, idq́ perspiciendum, hoc satis signi est, quod & Geometræ & Mathematici adolescentes fiunt, rerumq́ eiusmodi sapientiã consequũtur: prudẽtes nõ fiũt. Hoc causæ est, quòd in rebus singulis prudentia cernitur, quarũ vsu constat & exercitatione cognitio: vsuq́ rerũ nõ valet adolescẽs: facit enim diuturnitas tẽporis exercitationẽ. Nã hoc quærat aliquis, quid sit causæ cur puer mathematicus effici potest, sapiens vel physicus nõ potest? An quod illa abstractione constant, horum verò ab exercitatione & experientia principia oriuntur? & quòd hæc non probant, sed dicunt adolescentes, illorũ non sunt obscuræ definitiones? Præterea peccatur deliberãdo, vel in rebus singulis vel vniuersis. Aut enim omnẽ aquam quæ grauis sit, insalubrem esse nesciunt: aut hanc vel illã grauem. Prudentiam autẽ non esse scientiam, hinc perspici potest, quòd hæc, vt dixi, in extremis siue singulis rebus consistit. Quod enim sub actionẽ cadit, ex eo genere est. Opposita est igitur intelligẽtiæ. In principiis enim quæ ratione & demonstratione nõ colliguntur, intelligentia versatur. Hæc in rebus singulis, quarũ non est scientia, sed sensus: non is quidẽ qui in rebus suis ac propriis versatur, sed is quo triãgulũ sentimus in Mathematicis esse

in extremo, quoniā illic quoque consistitur. Sed tamen in hoc sensus potius cernitur, quàm prudentia: illius,
9 *aliud genus est. Discrepat autem à deliberādo quærere. Deliberare enim quærere est. Sed de recta deliberatione intelligendum est, quidnam sit, vtrum scientia aliqua, an opinio, an bona cōiectura, an aliquid aliud. Ac scientiā quidem non esse, hinc perspici potest, quòd cum homines non inuestigent quæ sciant ipsi, tamen & consultatio prudens quædā sit consultatio: & qui consultat, omnis quærat & ratiocinetur. Nec verò recta coniectura esse potest; quoniam coniectura rectè colligitur, & celeriter, & sine ratione, ad deliberandum autem multum temporis sumunt, propterea quòd celeriter aiunt conficienda esse quæ suscipimus: lente capiendum consiliū. Iam aliud solertia est, aliud prudēs consilium: quia solertia, quædam coniectura est: bonū consilium nullum est in opinione. Nam quoniam omnis aberrat, qui male consultat, & qui bene, rectè cōsultat: perspicuum est bonum consilium quiddam esse rectum non sciētiæ quidem, neque opinionis, quoniam in scientia non spectatur quid rectum sit, cum ne peccatū quidem: & opinionis quod rectum est appellatur veritas. Præterea iam definitum & certum est id omne in quo est opinio: At sine ratione constare bonum consilium non potest: relinquitur ergo, à mente atque sententia. Hæc enim nondū est enūtiatio. Et opinio, nō quæstio est: sed iam pronuntiatū aliquod. Qui autem capit consiliū, siue bene, siue male id faciat, is quærat aliquid ac ratiocinetur necesse est: & prudens deliberatio, siue bonum consilium, quiddam in consilio rectum significat. Quocirca quærendum nobis est, quid consilium sit & qua in re versetur. Quoniam igitur rectum aliquid*

*multifariã dicitur, perspicuum est prudentẽ delibera-
tionem in quaq; recta re nõ omnem cõsistere. Nam im-
potentes & praui homines, cum id quod sibi ratione ad
vidẽdum proposuerant, cõsecuti sunt, rectè illi quidem
ac prudenter vidisse ac decreuisse putãtur: sed magnũ
id malum existimarunt. Atqui in bonis bene cõsultasse
numeratur. Talis enim cõsilij veritas, bonũ consiliũ est,
quod bonũ adipiscitur. At potest illud ipsum quod bo-
num est, falsa ratione collectum obtineri: & ad id quod
faciendum est, non qua ratione æquum est, sed falsa via
media perueniri. Bonũ igitur consiliũ esse nullo modo
potest, quo ad id quidem peruenitur quod sit honestũ,
non autẽ qua ratione decuit. Præterea accidere potest,
vt alius deliberãdi longo tempore adhibito, id quod ve-
lit consequatur, alius celeriter eodẽ perueniat. Quare
nõdum illud quidem bonũ est consiliũ, sed recta via &
ratio vtilis ad perueniendũ quò perueniri, & quomo-
do, & quãdo ratio æquitasq; patiatur. Iam verò licet &
omnino prudenter deliberare, & ad finem certũ consi-
lia dirigere. Ergo id deniq; generale consilium omnino
habendum est, quod ad finem generalẽ dirigitur: quod
autem ad finem certũ quendam, etiã speciale consilium
est. Quod si prudentis est, bona cõsilia inire, verũ con-
silium sit necesse est recta via & ratio ad finẽ aliquem
consequendum vtilis, cuius sit vera existimatio in pru-
10 dentia. Est autem sagacitas & hebetudo, ex quibus
sagaces & hebetes nominantur. Nec omnino sagacitas
idem est quod scientia vel opinio (omnes enim sagaces
essent) nec est vna aliqua scientiarũ singularum: vt nec
pars medicinæ, in rebus enim salubribus versaretur, nec
geometria, quæ magnitudines tractat. Neque enim in
iis rebus cernitur sagacitas, quæ æternæ sunt & immu-*

tabiles

tabiles: ne in iis quidem quæ quomodocunq; gignuntur: sed in iis omnibus quæ dubiæ & incertæ alicui, dignaéq; consilio esse videãtur. Quocirca in iisdem rebus quibus prudentia versatur, nõ tamẽ idẽ est sagacitas quod prudẽtia: percipit enim prudẽtia, cũ ei sit propositũ, quid agendũ aut nõ agendũ sit, videre. At sagacitas solũ ad iudicãdũ valet. Eadẽ enim est sagacitas, quæ bona sagacitas: & sagaces iidem, qui præstantes sagacitate nominantur. Nec verò ex eo sagacitas nominatur, quòd prudẽtia obtineatur, aut percipiatur: sed vt omnes qui discũt, tũ scire aliquid & intelligere dicũtur, cùm scientia vtũtur: sic cũ adhibetur opinio & sentẽtia ad ea iudicãda omnia quæ prudẽtiæ subiecta sunt, alio dictãte, tum sagacitas dicitur. Sed tacẽtibus nobis, ad rectè etiã iudicandum adhiberi sagacitas intelligitur, quoniam bene & præclarè idẽ valẽt. Hinc natum est nomẽ τῆς συνέσεως, id est sagacitatis, ex qua sagaces nominantur ex ea quæ in discẽdo consistit. Sæpe enim τὸ μανθάνειν, συνιέναι, id est, dicere, intelligere appellamus. Quæ autẽ sententia vocatur, ex qua & bene sentire, & sententia praditi alij dicuntur, eã iudicium esse æqui & boni viri, hoc satis signi est, quòd bonum virum, ad ignoscẽdũ propensum facilemq; dicimus, æquumq; & bonum, ex eo quod nonnullis in causis ignoscat. Atqui venia, recta est in iudicio æqui & boni sententia. Sed ea demũ recta est, quam verus tulerit. Omnes autem hæ animi affectiones in iisdem rebus spectantur. Nã cum & sententiam, & sagacitatem, & prudentiam, & intelligentiam iisdem attribuimus, tũ eos sententiæ valere facultate, ac intelligentia præditos, prudentes, sagacesq; dicimus. Omnes enim hæ facultates animi extremarum rerumq; sunt singularum: idemq; homo quòd aptus sit ad ea iudicanda, in quibus cernitur prudens, sagax be-

ne sentiens, & ad veniam dandam procliuis, habēdus est. Commune est enim bonorum omnium, æquum & bonum in rebus alienis. Res autem agendæ, & officia in singulis rebus, extremis q́ omnibus versantur, quæ debēt esse prudenti cognita. In iisq́ quæ sub actionem cadunt, & sagacitas & sententia cernitur, quæ eadē extrema sunt. Et intelligētia vtrorumq́ extremorum est. Etenim principiorum & extremorum non ratio est, sed intelligentia: ac illa quidem, quæ in demonstrationibus versatur, eorum est extremorum & principiorum quæ mutari non possunt: altera quæ in agendo est in extremo, eaq́ re quæ euenire potest, & in enuntiationis alio genere cernitur. Sunt enim hæc finis principia, quoniam à rerum singularum cognitione vniuersarum cognitio ducitur. Horum igitur sensus est hauriendus & adhibendus: quæ eadē intelligentia nominatur. ita hæc nobis videntur insita natura. Cumq́ sit sapiens nemo natura, tamē inesse natura hominibus, & sentētiam & sagacitatē & intelligentiā, hinc potest intelligi, quòd eas virtutes sequi ætates putamus, vt in hac vel illa ætate intelligētia insit vel sententia, quasi à natura tributa insitaq́ videantur. Quapropter & principium est intelligentia & finis, cum præsertim ex iis oriantur, de iisq́ conficiātur demonstrationes. Quare non secus debent omnes vsu peritorum, maiorumq́ natu, ac prudentum fidem adiungere sententiis, iis etiā quæ probari non possunt, quàm iis quæ sunt ratione cōclusa. Nam quoniam vsu & exercitatione quasi aspectum quendam sunt adepti, facilè rerum causas & principia cernunt. Ac sapientia quidem quid sit, quidq́ prudentia, quibusq́ in rebus versentur, & vtranq́ in alia atq́ alia
12 *parte animi sitam esse: sit dictum satis. Sed de iis quærat*

rat aliquis, quas tandem ad res sint vtiles? Nam & sapientiam nulla in re versari earum quæ hominem possunt beatum efficere: cum præsertim nullius rei sit quæ gignatur: & in prudētia quidem illud esse positum, sed ad rem aliquam ea est opus. Siquidem res tractat prudētia, iustas illas quidem & honestas, quæq; hominis bona sunt: sed tamen eas boni viri est gerere. Nunc nihilo ad agendum aptiores paratioresq; venimus, cum eas tenemus ac scimus: siquidem virtutes in habitu quodā animi ponimus. Quemadmodum nec res bonæ valetudinis, & firmæ corporis constitutionis, quæ non ex eo dicantur quia aliquid efficiant, sed ab habitu proficiscantur. Neque enim præditi & instructi medicina & gymnastice, ad agendū aliqua ex parte venimus paratiores: Quod si nō ob has solum causas prudēs statuēdus est, sed etiam vt fiamus probi: profectò vsus illius iis quidem qui iam boni sint, nullus est futurus. Atque ne iis quidem qui nō sint præditi, quoniam nihil intererit, ipsíne eam habeant, an iis qui adepti erūt, obtemperēt: hoc enim satis sit nobis, quod in medicina: quam quidem nō discimus ipsi, etsi valere cupiamus. Ad hæc absurdum sit, cum sapiētia cōcedat prudētia, eam tamē multò esse superiorem futuram. Nam cum eius omne opus sit in agēdo, imperat, præscribitq; omnia. Quibus argumētis nobis occurrendum est: adhuc enim de iis solū dubitantes disputauimus. Ac primùm quidem hoc dicimus, eas sua vi & propter se expetendas esse necessariò, cum vtraq; vtriusq; partis animi virtus sit, etiam si nihil vtraque cōficiat. Deinde efficiunt illa quidem, non vt medicina valetudinem, sed vt valetudo ea quæ bene constituunt corpus, sic efficit beatitudinem sapiētia. Quoniā enim vniuersæ pars est

est virtutis, possessione vsuq; efficit beatum. Praetereà prudẽtia, eaq; virtus quæ more perficitur, omnẽ absoluit actionem. Propositum enim virtus rectũ efficit: ea quæ ad finem spectant, prudentia. Quarta autẽ parti animi, cui inest alendi vis, & augẽdi, nulla talis virtus attributa est, cũ præsertim agamus, velnõ agamus, nõ sit in ea situm. De eo autẽ quod obiectum est, nos nulla ex parte prudentia ad præclarè iusteq; facta effici aptiores, paulò altius hinc sumpto initio repetendũ videtur. Vt enim aliquos dicimus nondũ iustos esse, qui res iustas faciant, quales ij sunt qui quod leges iubent, vel inuiti faciũt, vel imprudẽtes, vel alia quacunq; de causa, non propter se, etiam si ea agant quidem omnia quæ agenda sunt, & quæ gerenda bono viro: sic, vt videtur, omnes vt sint boni quodam modo affecti animo gerere debent omnia, vt delectu adhibito, eorumq; causa quæ gerantur. Ac delectum quidem & electionem virtus rectã efficit: quod autẽ illius causa effici solet, hoc iam in virtute nõ est, sed in alia vi positum. De quibus differẽdum nobis est apertius. Est vis certè quædam, quã ingenium vocant: quæ eiusmodi est, ea vt efficere possit & adipisci, quæ ad propositum finem pertinẽt. Ac si finis quidẽ honestus sit, laudanda: sin malus, calliditas est nominanda. Itaq; prudẽtes, eosdẽ ingeniosos, callidos versutosq; dicimus. Nec verò vis hæc idem valet quod prudẽtia, etsi sine illa vi esse nullo modo possit. Habitus autem huic quasi oculo animi innascitur: neq; sine virtute vt diximus: idq; hinc perspici potest, quod rerum quæ sub actionem cadũt, principia ratiocinationes cõtinẽt: quippe cùm talis finis sit, etiã optimus, qualiscunq; sit: verbi enim causa sit quod occurrerit, quod qualesit, nisi bono viro apparet nemini. Peruertit enim iudiciũ vitiositas,

sitas, principiorumq; inducit eorũ errorem, unde actio-
nes & officia proficiscuntur. Quare non potest quisquã
13 *qui non idem bonus sit prudens esse. Quocirca hic*
rursum virtus quæ similitudine ad eam accedit, cõside
randa est: quandoquidẽ quam habet rationẽ prudẽtia
ad ingeniũ cui similis est, non idem valet: eandem hæc
ipsa virtus habet, quæ innata est nobis ad eam quæ pro
prie virtus appellatur. Omnibus enim à natura quodã
modo mores sui cuiq; tributi videntur. Natura enim
& iusti & tẽperantes & fortes gignimur, reliquarũq;
virtutũ principia & semina, simul atque in lucẽ editi
sumus, cõtinemus in nobis. Sed tamen aliud quiddam
quod propriè bonũ sit, esse volumus, & quæ ex hoc gene
re sunt, aliter inesse. Nã & pueris & beluis à natura tri
buti sunt habitus, qui sine intelligẽtia & ratione, obesse
hominibus videtur. Quẽadmodũ enim graui corpori cõ
tingit, ut si moueatur sine aspectu, grauiter offendant
hoc ipso quòd caret aspectu: sic res hic se habet. Quòd si
sapiẽtiæ lumen accesserit, iam magna est in actione di-
stinctio: habitusq; similis, tũ deniq; virtutis nomen pro-
priè vereq; obtinebit. Quocirca quemadmodũ vis du-
plex est eius in qua sedes est opinionis, ingeniũ & pru-
dentia: sic est duplex eius in qua morum, virtus ingeni-
ta, & vera virtus: quarũ quæ propriè virtus vocatur,
esse sine prudentia nullo modo potest. Itaq; omnes vir-
tutes prudentiæ nomine appellant. Et Socrates quidẽ
partim rectè quærebat, partim aberrabat. Nã quod vir
tutes omnes prudẽtias putauit esse, errauit: quod autẽ
eas non sine prudẽtia censuit, præclare dixit. Quod ex
eo intelligi potest, quia nũc omnes qui virtutẽ definiũt
cùm habitum eam dixerũt, & in quibus cernatur, tum
eum esse adiungũt, qui rectæ rationi sit consentaneus.

Atqui

Atqui ea demum recta ratio est, quæ prudentiæ congruat. Ergo hoc omnes quodam modo diuinare & augurari videntur, habitum eum virtutē esse, qui prudentia dirigatur. Sed tamē parua faciēda mutatio est. Neque enim in eo habitu solum virtus est, qui rectæ rationi sit consentaneus, sed in eo potius qui sit cum recta ratione coniunctus. Recta autem de his rebus ratio, iam nomen habet prudentiæ. Socrates ergo virtutes omnes rationes putauit, cum in scientia omnes poneret: nos eas cum ratione copulamus. Ergo iam illud quidem perspicuum est ex iis quæ dicta sunt, nec sine prudentia unquam veræ probitatis, nec sine virtute, quæ more perficitur, prudentiæ nomen obtinere posse. Sed hoc loco dissoluenda est ea ratio, qua quis disputare possit, seiungi separariq; virtutes. Neq; enim idem est ad omnes accipiendas aptissimus, verum hanc iam, illam nondum ille percepit. Nam in iis quidem quæ à natura dantur virtutibus, id contingere potest: in iis autē, ex quibus verè & omnino vir bonus nominatur, non potest. Etenim si prudentia vna adsit, iam continuò vna cum ea omnes aderunt. Illud etiam perspicuum est, etiam si ad agendum non moueat & impellat, ei tamen locum relinqui oportere hoc ipso, quòd partis animi virtus ponatur, & quòd sine prudentia & virtute propositum rectum esse non possit. Nam & hæc vt finē, & illa vt ea omnia quæ ad finē spectant, agamus, impellit. Nec verò domina est sapiētia, nec partis est melioris: quemadmodum nec medicina valetudinis. Non enim ea vtitur quidē, sed vt quicq; fiat, prouidet. Ita illius causâ præscribit omnia, non illi. Iam simile illud fuerit, vt siquis ciuilem scientiam imperare dicat diis, quod de iis præcipiat omnibus, quæ sunt Reipublicæ.

ETHIC

ETHICORVM ARISTOTELIS LIBER VII.

His *expositis, aliud faciamus initiũ dicendi. Eorum quæ in moribus fugienda sunt, tria esse genera, vitiositatem, impotentiam, & feritatem: quorum perspicuum est quæ sint duorum contraria. Alterũ enim virtutẽ, continẽtiam alterũ vocamus. Immanitati autem ac feritati licet eam virtutem poni cõtrariã maximè, quæ supra nos est, quæ eadem heroica, ac diuina dicenda est: vt Homerus Priamum de Hectore loquentẽ facit, quòd is virtute præstanti esset:*

Non hunc mortales, sed dî genuisse videntur.

Ita si, vt aiunt, ex hominibus propter excellentem præstantemq́ue virtutẽ efficiuntur dij, profectò ea erit potissimũ animi affectio quæ feritati repugnat. Nam vt bestiarum nullũ vitiũ est, nullaq́ue virtus, sic nec Dei: sed hic virtute præstabilior est, illarũ aliud est genus vitij proprium. Et quoniam raro contingit, vt aliquis homo sit diuus, quemadmodum Lacones solent appellare diuum, eum cui excellentes virtutes tribuũt: sic in specie humana raro feritas & immanitas cernitur, quæ vel maximè inter barbaros existit: in nõnullisq́ue ex vi morborum offensionumq́ue oritur: eos etiã homines qui alios vitiis flagitiisq́ue superãt, hac infamia notamus. Sed quoniam de hac animi affectione mox differemus, & de vitiositate suprà diximus: hic locus postulat vt de impotentia, de mollitie, de luxu, de continentia cõstãtiaq́ue dicamus. Neque enim de iis vt de habitibus qui idem sint quod virtus & vitium: neque vt de genere ab eis-

dem differentibus existimare debemus. Sed necesse est, id quod in aliis libris facimus, primùm propositis iis quæ clara sunt & certa, in vtranq; partem disputare: itaque demonstrare ea præsertim omnia quæ de his animi affectionibus probabilia feruntur: sin minus, plurima, & quæ plurimũ habent põderis. Nam si ea omnia diluãtur quæ difficilia sunt, relinquãturq; probabilia, sit explicatum satis. Ac illud quidem primum perspicuum est, continentiam & constantiam in bonis esse & laudabilibus, impotentiam & mollitiem in malis & vituperandis: eundemq; continentem, & eum qui permaneat in suscepto consilio: & eundẽ impotentem, & eum qui desistat à sententia. Et impotẽs quæ mala sunt, mala ille quidẽ esse nouit, sed agit ea victus & debilitatus obiecta specie voluptatis. At verò continens, quoniam malas esse cupiditates intelligit, eas ratione ductus nõ sequitur. Et temperantẽ quidem continentem atq; constantem appellant, talem autẽ hominem partim temperantẽ, partim non: intẽperantemq; impotentẽ, & impotentem confusè ponũt pro intemperanti. Alij eos aiũt esse inter se dissimiles: prudentẽ verò interdum negant impotẽtem posse effici: interdum eos qui prudentes sint & acuti, impotentes putant. Impotentes etiam dicuntur & iræ, & honoris, & lucri. Atq; hæc quidẽ sunt quæ
2 *feruntur. Hoc autẽ quærat aliquis, quid causæ sit cur rectè quis sentiens, iudicium suum retinere non possit? Scientem quidem eum posse esse negant nõnulli? Absurdum nanque sit, Socratis sententia, tũ cum in quopiam est scientia, aliud quiddam vincere ac trahere eũ quasi mancipium. Socrates enim, quasi verò nulla esset impotentia, cum ratione bellum gerebat: quòd neminẽ putauit, qui rectè sentiret, cõtra id quod òptimũ iudicasset,*

quicq

quicquam esse gesturum: sed imprudentem omnem facere, qui ita faceret & viueret, iudicauit. Atq; iis quidem quæ perspicua sunt, hæc omnis repugnat oratio: quærẽdumq; nobis est, si hæc animi perturbatio ab imprudentia nascatur, quis imprudentiæ sit modus. Nã hoc quidem perspicuum est, hominem impotentem non putare quæ agat esse facienda, priusquam sit in perturbatione: suntq; nonnulli qui hæc concedunt, superiora non item. Nam & nihil esse sciẽtia firmius fatentur, & neminem facere cõtra sententiam meliorem, non fatentur. Ob eamq; causam impotentẽ hominem aiunt, non sciẽtia quidem, sed opinione præditũ, vinci à voluptatibus. Atqui si opinio quidem insit & non scientia: nec firmum nec stabile iudiciũ quod obsistat, sed infirmum & leue: vt iis contingit, qui distrahuntur variis sententiis: profectò veniæ aliquid loci relinquatur, quod non stet in iis decretis cõtra firmas cupiditates. At malitiæ ac vitio non est ignoscendum, neque vlli eorumquæ ipsa vituperanda sunt. An verò prudentia est quæ obsistat, cũ sit potentissima? At absurdum sit: sic enim vnus & idem simul prudens & impotens est futurus: nec quisquã fateatur, prudẽtis esse, quæ sint flagitiosissima, ea gerere sua voluntate. Præterea supra docuimus quĩ sit prudens, eum quoniam in extremis cerneretur, & ad officia paratum, & cæteris virtutibus omnibus instructum ac ornatum esse oportere. Iam verò, si in eo continens sit positus, quòd cupiditatibus constrictus sit, & firmis & malis: profectò temperatus nemo futurus est continens, neque continens vllus moderatus. Neque enim cupiditates malæ & vehementes solent existere in temperante, quod quidem necesse esset. Etenim si honestæ sunt cupiditates, vitiosam esse necesse est eam

animi affectionem, quæ impedimento est, quo minus eas sequamur. Ita non omnis est in bonis cõtinentia. Quòd si infirmæ sint & imbecillæ, nec improbæ nihil gloriatione: neq; si improbæ & imbecillæ, quicquam magna laude sit dignum. Tum si nos, vt omni opinioni stemus, impellit cõtinentia, mala sit: veluti si falsæ. Et si de omni sententia & opinione impotẽtia deducat, aliqua in bono futura est impotẽtia: qualis illa est Neoptolemi Sophoclei, in Philoctete. Est enim iure laudãdus, quòd iis minimè steterit, ad quæ Vlysses ipsum impulisset, tum cùm vi doloris deceptus fuisset. Præterea Sophistarum, ratio fallax ancipitem curam affert cogitãdi. Nam quia inest in eis cupiditas refellẽdi quæ admirabilia sunt, quo sint cum occurrunt argutiores: quæ conficitur dubitationẽ affert ratiocinatio. Vinctus est enim animus quodam modo, cum non vult ille quidem consistere, quòd minus probet quod sit conclusum, sed tamen progredi longius non potest hoc ipso, quòd rationem nequeat dissoluere. Fit autem nescio quo pacto, vt imprudentia, impotentiæ coniuncta sit virtus. Contrà enim facit ac sentit propter impotẽtiam. Sentit autem quæ bona sunt mala esse, neque facienda. Ita quæ bona sunt faciet, non quæ mala. Iam qui agit & persequitur, quæ voluptatem efficiunt, idq; ex industria, hoc ipso, quod sibi animum induxit, is melior videatur eo, qui non ratione, sed impotentia animi ducatur ad agendũ: quo facilius ei curatio adhiberi potest, propter dissuasionem faciliorem. At verò impotens eo prouerbio constrictus tenetur, quod omnium sermone tritum est, Cùm aqua guttur præfocat, quid iam attinet bibere? Etenim si minimè animum induxisset ea facere quæ faciat, profectò simul ac ei dissuasio adhibita esset, a sententia destitisset.

stitisset. Nunc adhibita est, & tamẽ nihilominus aliud agit. Praetereà si in rebus omnibus versatur impotẽtia & continentia, quis perfectè & absolutè habendus sit impotens? cum praesertim nemo homo omni genere impotentiae sit instructus. Atqui nõnullos absolutè impotentes vocamus. Ac quae hoc loco incidũt quaestiones sunt eiusmodi: quarum aliae diluendae sunt, aliae relinquendae. Quaestionis enim explicatio est finis inuentio.

3 *Ac primùm illud quidem videndũ est, vtrum sciẽtiã habeant impotẽtes, necne, & quemadmodum habeant. Deinde quibus in rebus homo impotens & continẽs ponendus sit: vtrum in omni voluptate & dolore, an in certis quibusdã & definitis. Et continẽtes & cõstantes, vtrum iidẽ sint, anne diuersi. Quod idẽ exquirendum est de iis omnibus quae sunt huic coniuncta disputationi. Exordiũ autẽ hinc capiat disputatio, vtrum continens homo & impotẽs ex iis statuantur diuersi, in quibus versentur, an ex eo, quemadmodum in iis ipsis spectentur: hoc dico, vtrúmne impotẽs homo, ex eo solum quod in his vel illis cernatur rebus, nécne, intelligatur impotens, an ex vtroq; potius. Deinde quaerendum est, vtrum in omnibus voluptatibus impotentia & continẽtia, nécne, versentur. Neq; enim cernitur in omnibus, is qui vndiq; perfectè & absolutè est impotens, sed in quibus intemperans: nec ex eo quòd absolutè in iis affectus est (idem enim esset quod impotẽtia) sed quòd certo quodam genere & modo sit affectus, iudicandus est. Nam & hic quidem distrahitur in diuersas partes cõsulìo, quod semper praesẽtẽ voluptatẽ putet sequi oportere: & ille non putat, cum interim persequatur. Nam quod aiunt quidam verã esse illã opinionem nõ scientiam, in qua iudicia sua nõ possunt tenere, idquidem ad*

rationem nihil interest. Sunt enim quidam eorum qui sunt in opinione, qui nō pendent animi, sed certo se rem scire existimāt. Ita si ij qui sunt in opinione, nihilo minus quàm ij qui rem sciunt & tenent, cōtrà ac sentiunt faciant, propter leuem assensionem, nihil inter sciētiā intererit & opinionem. Nō enim sunt apud quosdā minus firmæ in iis de quibus opinātur assensiones, quàm apud alios in iis quæ ipsi sciūt, quod Heraclitus indicat. Sed quoniā dupliciter aliquid scire dicimus (nā & is in quo sciētia est, nec ea vtitur, & is qui vtitur scire dicuntur) permultū interest, isne qui præditus est sciētia, neq; eā intuetur, ea quæ nō sūt faciēda faciat: an is qui præditus est, eamq; intuetur. Hoc enim absurdū videatur: illud non item, si agat eā non intuēs. Iam cùm enūtiationū sint duo genera, nihil prohibet, eum qui vtrūq; genus teneat, cōtrà ac sciat facere, si ea quæ vniuersa est & generalis, vtatur, non quæ est de rebus singulis. Cadunt enim sub actionem res singulæ. Atque etiam eius quod vniuersum ac generale est, sunt quædam differētiæ. Nam aliud in eo ipso vertitur, aliud in rebus: veluti, omni homini sicca prodesse, &, hunc esse hominem: vel siccum esse hoc tale, vel illud. Verùm si tale hoc sit, aut non suppetit, aut certè eo nō vtitur. Tanta igitur ex iis generibus existet dissimilitudo & differentia, vt sic scire nihil absurdum sit, secus mirabile videatur. Præterea situm est in homine, vt alia etiam ratione, atq; iis quas modo commemoraui, sciētiam habeat. Nam ex eo quòd tenetur animo comprehensa, vsus autem eius & exercitatio nō adhibetur, dissimilem habitū cernimus, vt & teneatur res quodam modo, & nō teneatur: qualis est dormientium, furiosorum, & vinolētorum. Atqui ita sunt affecti omnes qui in aliqua sunt animi perturbat

batione. Nam & ab ira & libidine luxuriosorum, & quibusdam eius generis, perturbantur etiã corpora, & nonnulli ad insaniam adigũtur. Perspicuum est igitur ita vt hi sunt, affectos esse impotentes. Nec verò sententiarũ commemoratio earũ etiam quæ dignæ sunt scientia, confirmat, quẽquam conueniẽter scientiæ ac sententiæ suæ agere. Nam & qui aliqua animi perturbatione cõmoti sunt, rationes & carmina proferunt Empedoclis: & qui primùm discunt, verba illi quidem coniungunt, sed quæ non intelligant. Debent enim hæc animo inhærere omnia: quod vt fiat, tempore opus est. Quocirca qualis histrionũ, talis iudicanda est impotẽtium oratio. Atq; etiam hoc modo causam ex natura intueri licet, quòd cum opinionum aliæ in vniuersis rebus, aliæ in singulis quarum sensus dominus est, cernantur: si earum vna adfuerit, in his necesse est quod conclusum sit, animum ei assentiri: at in iis quæ in agendo cernuntur, statim exequi. Vt si quod dulce est, omne gustãdũ: hoc autem dulce est, quod sit in rebus singulis, necesse est eum simul illud agere, qui possit, neq; prohibeatur. Cũ ergo inest de vniuersis opinio quæ vetat ne gustes: alia autem, dulcia esse suauia omnia: & hoc dulce esse: profectò hæc exequitur, que fortassis erat cupiditas. Cum ergo hæc illud fugiendum monet, cupiditas cõtrà ad se rapit (potest enim omnes partes commouere) fit, vt à ratione quodam modo & opinione distrahatur animus: non quòd sit per se contraria opinio, sed quòd solùm fortuitò. Non enim rectæ rationi opinio, sed cõtraria est cupiditas. Quocirca nõ sunt beluæ impotẽtes, propterea quòd res singulas nõ percipiant, sed rerũ singularũ modò visis & recordatione moueantur. Quemadmodum autem deletæ ignoratione, ad sciẽtiam reuocetur

impotẽs, eadem ratio est & ebriosorũ & dormientium cõmunis, non huius perturbationis propria: quæ ab iis petẽda est, qui naturas rerũ inuestigãt. Quoniã autem extrema enũtiatio est eius quod sub sensum cadit opinatio, actionumq́ ac officiorũ est propria: eam aut non tenet is qui perturbatione cõmotus est: aut sic certè eam tenet, vt sic tenere non sit scire, sed more vinolentorum, Empedoclis carmina recitare. Et quoniã non sunt vniuersæ, extremæ enuntiationes, neque ad sciẽtiam æquè valent ac vniuersæ: etiam quod Socrates quærebat contingere videtur. Neque enim tũ cum adest quæ verè ac propriè scientia dicitur, aut animi perturbatio nascitur, aut ea distrahitur à perturbatione, sed cùm ea quæ hauritur sensibus. Ac hominem quidem scientia præditum, & non præditum, intemperatè viuere, quoq́ modo quis in scientia possit esse impotens, sit dictum satis.

4 *Deinceps dicendum est, vtrum sit aliquis absolutè impotẽs, an aliqua ex parte omnes habeãtur: tum si est aliquis, quibus in rebus cernatur. Illud igitur perspicuũ est, continentes, constãtes, impotentes mollesq́ homines in voluptatibus doloribusq́ versari. Eorum autem quæ voluptatẽ efficiũt, ac delectãt, alia sunt necessaria, alia propter se sunt illa quidem expetenda, sed tamẽ exuperantiam habent. Necessaria quidẽ sunt, quæ ad corpus pertinent: quo ex genere sunt ea omnia quæ ad cibum vsumq́ venereorum referũtur: itemq́ alia eius generis quæ in corpore cernuntur. in quibus temperantiam & intemperantiam locauimus. Alia nõ sunt illa quidem necessaria sed ex se, & propter se expetenda, vt victoria, vt honos, vt opes, & quæ bona sunt & iucunda eiusdem generis. Ac eos quidem homines, in quibus contra rectam rationẽ quam tenẽt, horũ modus nullus est, non*

non absolutè impotētes vocamus, sed cum adiunctione, pecuniarū, quæstus, gloriæ & iræ impotentes, nō autem absolutè, quòd non sint iidem, ex similitudineq́ nominētur: quemadmodum, homo qui vicit ludis Olympicis sua & propria ratione à communi paulum admodum differebat, ea tamē non erat eadem. Illud autem hinc perspici potest, quòd impotētia vituperatur, non solùm quia peccatū sit, sed etiā quia aut omnino & absolutè vitiositas quædam sit, aut aliqua ex parte: quod illorū contingit nemini. Eorum autē qui in corporis voluptatibus versantur: iis in quibus temperantem & intemperantem esse dicimus: qui non consultò & cogitatò, sed inconsultè & sine iudicio immoderatas voluptates sequitur. doloresq́ nimios fugit, vt famis, vt sitis, vt caloris & frigoris, eorumq́ omniū quæ in tactu gustatuq́ cōsistunt: is non cum adiūctione quòd in his rebus aut illis sit, vt iræ, sed solùm absolutè impotens nominatur. Quod ex eo intelligi potest, quia in his intemperantes esse dicūtur, in illis non dicuntur. Ob eamq́ causam in eodem impotentem & intemperantem ponimus, continentemq́ & temperatum: illorum verò neminem, quòd in iisdem quodam modo voluptatibus doloribusq́ cernantur. Sunt in his illi quidem, sed nō eodem modo, sed illi consultò, hi incōsultò. Itaque potius intemperantem appellari licet eum qui nulla aut certe leui cupiditate incitatus, magnas & immodicas voluptates sequatur, vel mediocres dolores fugiat, quàm eum qui idē faciat magnis firmisq́ cupiditatibus impulsus. Quid enim ille faciat, si iuuenilis libido exarserit, & in rerū necessariarum indigentia firma ægritudo? Sed quoniam cupiditates ac voluptates aliæ sunt in honestis & bonis, (ex iis enim quæ mouent & delectant, vt etiam antè

distinximus, quædam sua vi & natura expetēda sunt, alia his cōtraria, nonnulla media, vt pecuniæ, quæstus, victoria, gloria) in his omnibus cæterisq; eiusdem generis & mediis, non qui ea suscipiant, eorumq; cupiditate & amore teneantur homines, vituperantur, sed quia iis quodammodo afficiantur, & modum in eis finemq; transeant. Itaque omnes, qui præter modum aut vincuntur eorum aliquo quæ suapte natura honesta sunt & bona, aut eadem sequuntur, nō laudantur: vt qui plus quàm ratio patiatur vel gloriæ student, vel liberis, vel parentibus. Nam & hæc in bonis sunt, & qui iis inseruiunt, in laude versantur. Sed tamen in his quoque est quædā exuperātia. si quis, vt Niobe, bellet cum diis: aut quemadmodum Satyrus ille, qui amās patris vocatus est, insano amore afficiatur in patrem: nimium enim insanire ille videbatur. Vitiū igitur in his nullū versatur, propterea quòd, vt dixi, vnū quodq; eorum in iis est, quæ per se expetuntur: sed eorum nimiæ ac immodicæ prauæ sunt ac fugiendæ cupiditates. Itemq; ne impotentia quidem: Est enim nō modò in malis, sed etiam in fugiendis impotētia. Ex similitudine autem perturbationis cum adiūctione vnicuique impotentiā attribuūt, vt cum medicum malū appellant, malumq; histrionem, quem omnino & absolutè malū nunquam dicerent. Vt igitur hic malus non dicitur, non quòd sit vitium vnum quodque eorum, sed quia quadā proportione est simile: sic illic etiam solum esse existimanda est continentia & impotentia, quæ in iisdem quibus temperantia & intemperantia versatur. Eadem etiam ratione de ira dicimus. Quocirca cū adiunctione iræ, vt gloriæ & quæstus, impotētia aliquid fieri
5 *dicimus.* *Sed cū aliqua iucunda sint natura, quorū*

alia

alia omnino & absolutè, alia animantium hominumq́ generi voluptatem afferunt: quædam nõ natura & per se, verùm alia ex morbo, quædam consuetudine, nonnulla vitiosa deprauataq́ natura nascuntur: licet etiã in his similes proportione affectiones cernere, vt beluarum: qualis fuit eius mulieris, quam incisis grauidis mulieribus fœtus deuorare aiunt solitam: aut quibus ferũt delectari efferatos circa Pontum quosdam homines, quorum alios cruda, alios humana carne vesci confirmant, alios commodare vltro citroq́ liberos in conuiuiis: aut quod ferunt de Phalaride. Atque hæ quidẽ beluarum sunt similes affectiones. Aliæ ex morbis furiaq́ nascuntur, vt in illo qui matrem mactauit, & comedit: & in eo qui conserui iecur. Aliæ partim ex morbo, partim consuetudine gignuntur, vt pilorum euulsiones, & esus vnguium, carbonum etiam & terræ. Præterea libidinosorum cum maribus concubitus. Aliis enim natura, aliis consuetudine eueniunt: vt iis qui ab initio pueritiæ adhibent consuetudinem. Ac eorũ quidem quibus causam natura suppeditat, neminem impotentem solemus dicere: vt ne mulieres quidem, quòd nõ incubent, sed succubent. Itemq́ ij qui ex consuetudine in morbum incidere solent. Vt igitur immanitas & quæ beluarum similis est, sic singulæ hæ animi affectiones, finem vitij modumq́ transeunt. His autem si quis afficiatur, & vincat eas, aut ab iis vincatur, non sit perfecta absolutaq́ impotentia, sed quædam par ac similis: quemadmodum ne is quidem habeatur impotens, qui ira incitatus sit, sed in peturbatione eo modo esse dicatur. Omnis enim perinsignis vitiositas, amẽtia, timiditas, intẽperãtia, & duritia, vel ex feritate, vel ex morbo nascitur. Qui enim natus est eiusmodi vt metuat

omnia,

omnia, etiã si mus strepitũ edat, beluarum simili quadam ignauia timidus est habendus: & qui muscipulam vi morbi timeat amentesq; ij qui à natura expertes rationis, solum sensu ducti viuunt, immanes, beluarũq; similes habendi sunt: vt quædam genera barbarorũ procul habitãtiũ. At qui ex morbo, vt comitiali, vel furia, ij sunt morbosi. Potest autẽ aliquando quis solum affectus esse, neque vincetur: vt si Phalaris filij vorandi cupidus, vel inusitata rei venereæ captus libidine, se coërceat & sustineat. Fieri etiam potest, vt quis vincatur à perturbatione, nõ solùm sit in ea. Quemadmodum igitur vitiũ illud, quod naturã nõn superat humanã, absolutè vitiũ dicitur: aliud cum adiũctione, quod beluarum sit propriũ, vel ex morbo nascatur, nõn absolutè: sic perspicuũ est, impotentiam esse aliã quæ beluarũ propria est; aliã eã quæ ex morbo nascitur. Absolutè autem ea sola, quæ intemperãtiam non vincit humanã. Illud ergo iam quidem perspicuum est continentiam & impotentiam in iis duntaxat versari, in quibus temperãtia sit, & intemperantia: aliudq; esse genus impotentiæ quod ex similitudine non absolutè ductum in aliis rebus cernatur.

6 *Nunc ostendamus, iræ quàm cupiditatum minus turpem esse impotentiam. Ira enim audire illa quidem videtur quodammodo rationẽ, sed non exaudire: more ministrorum & seruorum eorum, qui properè munia obeant, qui antè quàm omnia quæ præscribuntur, audierint, abeunt, deinde officio desunt: & ritu canum, qui prius quàm considerarint, sitne is amicus qui pulsauit, allatrant. Sic ira feruore ac repentino naturæ motu incitata, audit illa quidem rationẽ, sed præscriptione non intellecta, ad supplicium se vltionemq; conuertit. Cum enim ratio, vel visio potius cõtumeliam*

vel contemptum subesse docuit, hæc tanquam sit collectum ratiocinatione, huic vel illi bellum esse inferendum repentè excādescit. At verò cupiditas, si ratio vel sensus modò moneat hoc vel illud esse suaue, inflammata rapitur ad perfruendas voluptates. Ita quodammodo sequitur rationē ira, cupiditas nō itē. Est igitur turpior cupiditas. Quinetiam ira impotens quodam modo à ratione vincitur: ille autē non à ratione, sed à cupiditate. Iam ei potius ignoscēdum est, qui appetitiones sequitur naturales, quoniā cupiditates ex eo genere etiā communes sunt: & ideo, quia communes. At iracundia & acerbitas à natura nobis potius tributa est, quam cupiditates ea quæ sunt & immoderata, & minus necessaria. Vt ille qui cur verberaret patrem rationem caussamq́; attulit. Hic suum, inquit, & ille superiorē: & hic etiam (producto filio) vbi adoleuerit, me verberabit: est enim hoc nobis proprium, & hæreditarium. Et ille qui cùm à filio traheretur, eum iussit ad fores consistere, à se enim ad eum locum patrem esse tractum. Iam quo quisque maiore fraude & ex insidiis agit, eo iniustior est, iracundus autem nō agit fraude, neq; insidiatrix est iracundia, sed aperta: & cupiditas est: vt aiunt de Venere. Cyprigenam enim insidias nectere ait Homerus, baltheumq; tribuit ei, in quo doli essent,

Fraus, animos quæ prudentum insidiata fefellit.

Ita si iniustior est, etiam erit turpior hæc impotentia, quàm ea quæ ira est, quæ eadem absolutè impotentia & vitiositas vocatur quodam modo. Prætereà nemo dolēs paret libidini. Atqui per iram facit, omnis dolēs facit: & qui libidini obsequitur, libenter facit. Si igitur quibus rebus iustius offendimur, eadem sunt cum maiore iniuria coniuncta, etiam impotentia cupiditatū. Neq; enim

enim ira dominante loci aliquid libidini relinquitur. Ergo hoc iam perspicuũ est, impotentiam cupiditatum iræ esse impotentia turpiorem: in iisq́ue voluptatibus & cupiditatibus esse continentiam ac impotentiã, quæ ad corpus pertinent. Intelligenda est autẽ harũ ipsarum distinctio. Aliæ enim sunt, vt initiò diximus, humanæ, & naturales, & suo genere & accessione: aliæ beluarum propriæ: quædam ex oblæso principio, morbisq́ue gignuntur: quarum in primis duntaxat sunt temperãtia & intemperantia. Itaque nec temperantes beluas dicimus, nec intemperantes, nisi per metaphoram, etiã si aliud animantium genus aliĳ præstet, petulantia, cõtrectatione, & libidine omnia vorandi. Neq́ue enim belluarum vllum iudicium est, vel consiliũ: sed vt furiosi exuerunt hominem ex homine, sic feræ deprauatæ sunt natura sua. Minus autem malũ est feritas & immanitas, quàm vitium: terribilius non item. Neque enim in illis quod est optimum, deprauatũ est, vt in homine, sed inflexum est & incuruatũ, nec vim obtinet. Similiter igitur facio, vt si inanimũ cum animante conferrem, vtrũ sit peius. Semper enim infirmior est & imbecillior eius prauitas, quòd principĳ sit expers. Mens autem principium est. Similis igitur sum, vt si quis iniustitiam cum iniusto homine compararet, quorum vtrunque quodam modo flagitiosus est. Nam homo si prauus sit, plura infinitis partibus detrimenta & incommoda quàm fera praua inferre potest.

7 *In quibus autẽ voluptatibus quæ ad tactũ gustatũq́ue pertinẽt ac doloribus, cupiditatibus & fugis, consistere tẽperantiã & intemperantiam suprà exposuimus, iis potest quispiam ita esse affectus animo, vt ab iis vincatur quæ etiã pleriq́ue superãt: potest etiam ea vincere, à quibus pleriq́ue vincatur. Horũ qui*

in

in voluptatibus ita in animo affecti sunt, ille, impotẽs: hic, continens nominatur. In doloribus, hic mollis & delicatus: ille, constans & patiens. Sunt autem & aliæ inter has locatæ animi affectiones, quanquam magis ad vitiosas deflectere videantur. Et quoniam voluptates aliæ sunt necessariæ, aliæ non, usque ad certum quendam modũ: nimiæ autem & parũ magnæ nõ sunt necessariæ: quod idẽ in cupiditatibus & doloribus cõtingit: qui immoderatas persequitur voluptates, aut immoderatè sequitur, aut id facit de industria propter se, non propter aliud aliquid ex iis consequẽs, is temperãs habendus. Quẽ quoniã necesse est nullius facti pœnitere, idcirco est insanabilis. Omnes enim quos nihil pœnitet, sanari nullo modo possunt. Qui autem deficit à modo perfruẽdæ voluptatis, huic contrarius ponitur. At qui medius est, temperãs nominatur. Eadem est ratio eius qui dolores corporis declinat: non quia vincitur, sed de industria. Eorum autem qui non animi iudicio ducũtur, quidam voluptate rapitur, alius molestiæ fuga, quæ cupiditatem consequatur. Ita inter se sunt dissimiles. Sed multò deterior omnibus videatur, si quis nulla aut leui cupiditate ductus, quàm si firma, aliquid faciat: & si quis nulla ira incitatus pulset & verberet aliquem, quàm si idem commotus fecisset. Quid enim facturus fuisse videtur, si fuisset incitatus? Ita peior est impotente intemperans. Eorum verò quos modò nominaui, alius mollis potius, alius intemperans appellatur. Contrarius autem est & continens impotenti, & molli ac delicato constans & patiens. Constantia enim & patientia in resistendo est, in vincendo cõtinentia. Aliud est autem resistere, aliud vincere: vt aliud non vinci, aliud vincere. Quare expetenda quidem

dem magis est cõtinendi ratio, quã resistendi fortitudo. Qui autem à ratione deficit iis rebus quibus plerique & obsistere possunt, & obsistunt, is mollis & delicatus habendus est (deliciæ enim quædam animi mollities est) vt si quis vestem trahat, ne quam in veste tollenda suscipiat molestiam & dolorem. Et qui imitatur ac fingit ægrum, non se miserum esse putat, cum sit misero par ac similis. Similis est ratio contientiæ & impotentiæ. Neque enim mirũ sit aliquẽ esse, qui à firmis & immodicis voluptatibus doloribúsve vincatur: quinetiã venia dãda est, si quis obsistẽs vincatur, vt Theodecti Philoctetes ictus à serpẽte, vel Carcini Ceryõ in Alope. Et vt homines, qui tenere risum conati, vniuersum effundunt, quod Xenophanto accidit. Sed si quis iis succumbat, quibus pleriq; possunt obsistere, id denique sit mirum, præsertim si neq; genere naturæ, neque morbo impeditus, possit obsistere. Qualis est in Persarũ regibus mollities, è genere ducta, quòd veluti fœmina à maris natura recessit. Atque etiam intẽperans videtur, si quis est ad ludum propensior, qui etiam mollis dicitur: ludus enim leuamẽtũ est, siquidẽ requies. At omnis, qui ad ludum est procliuior, in iis est qui modum requietis transeũt. Impotentia autẽ alia est temeritas, alia imbecillitas. Alij enim consilio capto, non seruant, neque tenent id quod statuerũt, victi & debilitati obiecta specie voluptatis. Quidã quia nihil se neq; rationẽ cõsulue runt, à perturbatione rapiuntur. Nõnulli enim, quemadmodum quasi titillati antè: & deliniti blãditiis voluptatis, non succumbunt: sic cum præsenserunt, & prouiderunt, excitaruntq; & se & rationem, nunquam à perturbatione vincuntur, siue sensum suauitate quadã demulceat, siue asperitate deterreat. Maximè autem

acuto

acutorum & atra bili hominum est temeraria impotentia, quoniam illi propter celeritatem, hi propter vehementiam, rationem & iudicium suum non retinent, hoc ipso quòd visionem & speciem obiectam animo facilè sequantur. 8 Quoniam autem vt dixi, factorum suorum nō pœnitet intemperantem, quippe qui permaneat in sententia: impotentem verò, quodam modo pœnitet: idcirco non ita est vt quærendo disputauimus, sed hic sanabilis est, illi nulla sanitas adhiberi potest. Simile est enim malum hoc morbis aquæ intercuti, & tabi: impotentia his hominibus qui morbo comitiali afflictantur, propterea quòd assidua illa & sempiterna, hæc non assidua est improbitas. Omninoq; ex alio genere impotentia est, ex alio vitium: vitium enim omne occultum est, non est occulta impotētia. Atqui horum ipsorum meliores ij qui a ratione desciscunt, quàm ij in quibus est ratio, & sentētia, neque in ea permanent, siquidem a minore perturbatione victi iacent, neque id inconsultò, vt alteri. Est enim impotens iis similis hominibus, qui & citò, & pauculo vino epoto, & minore quàm plerique, incidunt in ebrietatem. Ac impotentiā non esse idem quod vitium, nisi fortè aliqua ex parte, hinc perspici potest, quòd illa non est cum animi iudicio & proposito coniuncta: vitium est. Est inter hæc tamen in actionibus quædam similitudo, vt illud Demodoci in Milesios, Milesij non sunt illi quidem insipientes, sed tamen eadē quæ insipientes, faciūt. Et impotentes quidē cum non sint iniusti, faciunt tamen iniuste. Quoniamq; hic eiusmodi est, qui propterea quòd sibi non persuaserit, immoderatas quasdam etiam contra rectam rationem corporis voluptates persequatur, ille autem sibi induxerit animū, quod sit eiusmodi

qui eas sequatur: ille facilè desistet de sententia, hic non desistet. Nam & virtus omnis principium conseruat, & vitium labefactat. Principiũ autem actionis & officij id est, cuius gratia cætera fiunt, vt in Mathematicis ea quæ ponuntur. Vt igitur illic, ita hic principia non docet ratio, sed virtus, vel quæ insita est natura, vel à more perfecta, bene sentire docet de principio. Est igitur eiusmodi temperans: cui est intemperans cõtrarius. Est etiam alius qui propter perturbationem à recta ratione desciscit, quem vt ne agat ex rationis præscriptione, impellit perturbatio: eadem vt ei certũ sit & destinatum, eius generis voluptates liberè persequi oportere, non vincit. Hic impotens nominatur, qui & melior intẽperante est, nec planè improbus. Saluũ enim in eo & integrum est principium, quo nihil in nobis est præstantius. Ei autẽ repugnat alius, qui permanet in sententia, à qua eum nulla potest dimouere perturbatio. Ex quo perspicuũ est, hanc in bonis, illam in malis esse animi affectionem.

9 *Vtrum igitur in quauis sentẽtia continens cernatur, & quolibet proposito, an in recto & honesto? & impotens, vtrum institutum quodlibet non sequatur, & nõ in qualibet sentẽtia permaneat, an falsam duntaxat rationẽ teneat, & nõ rectum institutum? vt initiò quæsitũ à nobis est: an fortuitu in quauis: ac per se in vera ratione & recto proposito ille permaneat, hic non permaneat, quæstio est. Si quis enim hoc propter illud expetat, vel sequatur, per se & propter se hoc expetit & sequitur: fortuitò illud superius. Omnino autem & absolutè dicimus expeti id, quod propter se expetatur. Ita in qualibet hic sentẽtia permanet quodam modo, ille ab eadẽ abducitur: at omnino is est, qui in vera. Sunt autẽ qui in sentẽtia permanent, quos per*

tinac

tinaces vocant: quales sunt ij qui ægre animũ inducũt, & non facilè desistunt à sententia. Hi simile quiddam habent cõtinenti, vt prodigus liberali, & audax forti, cũ ab eo absint, distentq́ plurimũ. Cõtinens enim perturbatione aut cupiditate nõ abducitur à sentẽtia, cùm etiã si ita res ferat, desistat facilè à sentẽtia, cõtinẽs. Illi verò non ratione ducti facilè mutant sentẽtiã: quippe qui se vltro cupiditatibus offerãt, & plerique inflãmati voluptate rapiãtur. Pertinaces autem sunt sentẽtiæ suæ defensores, & indocti & agrestes. Ac sententiæ suæ defensores, in eo vel voluptatem sequuntur, vel dolorẽ. Voluptatẽ enim ex victoria percipiũt, si nõ dimoueãtur de sentẽtia: & ferunt iniquo animo, si sua, quasi decreta tollantur, & infirmentur. Ita sunt illi quidẽ impotenti quàm continenti similiores. Sunt etiam qui non stant in eo quod statuerunt, nõ propter animi impotentiam, vt in Philoctete Sophoclis Neoptolemus, qui propter voluptatem, sed quæ honesta erat, nõ permansit in sententia: nam verum enuntiare, honestum illi fuit: cũ illi mentiri induxisset Vlysses. Neque enim qui voluptatis causa, nisi obscœna, aliquid faciũt, omnes cõtinuò vel intemperantes, vel scelesti, vel impotentes sũt habẽdi. Quoniã autẽ est aliquis eiusmodi, qui minorẽ quàm sat sit, corpore voluptatẽ percipiat, quiq́ cum sit eiusmodi, non permanet in sentẽtia & ratione: fit, vt inter eũ & impotentẽ, mediũ locũ obtineat continens. Nam & propter vim quandã maiorẽ nõ seruat rationem impotens, & hic propter minorẽ. At verò continens sic suũ iudiciũ retinet, ac rationẽ, vt ab ea nulla vi nulloq́ impetu possit deiici. Quoniãq́ in bonis est cõtinentia, ambas necesse est contrarias animi affectiones esse in malis. Quod perspicuum est quidem certè: sed quia altera in

riosus autem non deliberat omnino. Similis est igitur impotēs ciuitati, quæ statuit illa quidem quæ sunt præclara omnia, legesq́ue habet & bonas & salutares, sed nulli paret: Id quod Anaxandrides facetè dicit,

Quas non tuetur, leges condit ciuitas.

Improbus autem ei, quæ seruat illa quidem leges, sed malas & perniciosas. Sed in eo quod multitudinis affectionem vincit, omnis & continentia, & impotētia cernitur. Ille enim diutius, hic minus diu perstat in sententia, quàm vires ferant plurimorum. Faciliusq́ue impotentia sanari eorum potest, qui atra bili tenentur, quàm eorum qui statuunt, nec stant in eo quòd sit iudicatum. Et ij qui consuetudine, quàm qui natura impotentiam compararunt. Est enim facilius consuetudinem mutare, quàm naturam: quippe cum proptereà sit molesta consuetudo, quòd ad naturam proximè accedat. Id quod etiam Euenus carminibus tradidit,

Consuetudo valet, longos mansura per annos:
Illaque naturam, vires si sumpserit, æquat.

Ac cōtinētia quid sit, quid impotētia, quid cōstantia & mollities, quam hæ inter se rationem habeant animi
11 *affectiones, iam expositum explicatūq́ue est. Voluptas autem quid sit, quid dolor, quæq́ue eorum vis & natura, Philosophi ciuilis est tenere & cognosse: quippe cum is sit finis beatæ vitæ quasi architectus, quem intuētes, omnia vel in bonis vel malis esse omnino cēseamus. Iam verò cum virtutes & vitia more perfecta, in voluptate ac dolore inhærere posuerimus, plerique etiam cum voluptate vitam beatam coniunctā esse affirment: hæc nobis de voluptate & dolore etiā necessariò suscipiēda disputatio est. Itaque τὸν μακάριον, id est beatū, ἀπὸ τοῦ χαίρειν, id est à lætādo nominarūt. Sūt igitur, qui nullā vo-*

*luptatem bonum esse censent, neque per se, neque for-
tuitò, quòd non idem sit bonum & voluptas. Alij non-
nullas in bonis numerant, multas in malis. Tertia etiā
est sententia eorum, qui asserūt, etsi omnes in bonis sint,
tamen non posse summum bonum in voluptate numera-
ri. Ac omnino quidem non est bonum voluptas, quòd
voluptas omnis sit ortus quidam, qui in naturam ducēs
ad sensus illabitur. Neque enim ex eodem genere sunt
ortus & finis: vt nulla, in ædificando suscepta opera,
domus vocatur. Præterea & temperans voluptates
fugit, & prudēs sequitur id quod dolore vacat, nō quod
voluptatem efficit. Impedimento est etiā voluptas pru-
dentiæ, eoq; magis, quo maior sit & longior, vt luxu-
riosorum: qui enim in ea sit, nihil agitare mente, nihil
ratione, nihil cogitatione cōsequi potest. Iam verò nulli
arti subiecta est voluptas, cum interim omne sit artis
opus in bonis. Præterea voluptatē & pueri persequun-
tur, & beluæ. Nam non omnes esse in bonis, hinc per-
spici potest, quòd earum quædā obscœnæ sunt, & vt pro-
bra obiiciuntur, & quòd nocent. Quædam enim eo-
rum quæ sensum dulcedine quadā permulcent, morbos
afferunt. Non esse autem in voluptate summū bonum,
quòd non finis sit, sed ortus. Atque hæc ferè sunt, quæ de
12 voluptate asserūtur. Ex quibus nō effici, vt voluptas
ne sit bonum, neque summū bonum. primum ex hoc intel
ligi potest: quòd cum duplex sit bonum, alterum quod
absolutè & per se bonū sit: alterum, quod alicui bono
sit & vsui, eodem etiam modo naturæ & habitus conse-
quētur. Ita & motus & ortus. Quæq; malæ videntur,
perfectè & per se malæ sunt, alicui non sunt, sed huic
aut illi expetēda. Quædā verò certe cuidam voluptati
non sunt, sed aliquando, & perexiguo tempore, expe-*

tendæ

tendæ non item. Aliæ non ſunt voluptates, ſed videtur, nempe quæ cum dolore & medicinæ gratia capiuntur; quales ſunt ægrotorum. Deinde cum bonorum aliud ſit actio, aliud habitus; quæ ad conſtitutionem habitus naturalis pertinent, acceſſione ac fortuitu ſenſus mouent atque delectāt. Eſt autem actio in cupiditatibus eius qui deſit habitus atque naturæ. Sunt enim quæ dolore & cupiditate vacāt voluptates, quales ſunt quæ cognitionis contemplationiſq́; ſtudio percipiuntur, tum cum natura nihil deſiderat. Quod ex eo perſpici poteſt, quia non eiſdem rebus voluptatem parientibus delectantur homines, tum cum natura expleta eſt, & cum eſt bene conſtituta: ſed cùm eſt ita conſtituta iis quæ per ſe voluptatem pariunt: & cùm ſatiata eſt contrariis. Nam & acribus & amaris tum delectari ſolent, quorum nihil ſuapte natura gratum eſt, neque abſolutè iucundum. Ita ne voluptates quidē. Vt enim quæ habent delectationē inter ſe differunt: ſic hæ etiā quæ ex illis percipiuntur voluptates. Nec verò aliud aliquid neceſſe eſt voluptate eſſe præſtantius, vt nōnulli aſſerūt, videlicet finē ortus. Neq; enim ſunt in ortu voluptates, nec copulatæ ſunt omnes cum ortu: ſuntq́; potius actiones & finis. Nec dū gignuntur eueniūt, ſed cùm ad vſus adhibentur. Non eſt etiā finis omnibus alius quidā propoſitus, ſed iis modò, quæ ad perfectionē naturæ pertinēt. Itaq; illud nō eſt præclarè dictum, voluptatē eſſe ortum quendam ad ſenſus affluentem: ſed definienda fuit potius actio eſſe habitus naturæ cōgruentis: & pro illo, ad ſenſus illabēs, nō impedita. Quanquā ortus quidā videtur eſſe, quod propriè & verè ſit in bonis, cùm præſertim actionem ortū eſſe putēt, & ſit aliud. Nam quod aiūt, malas eſſe, propterea quòd morbos pariāt nonnullæ res

quæ voluptatem efficiant: idem valet contra salubria, quorũ quædam rei nummariæ obsunt. Hac quidem ratione vtraq; erunt inutilia. Atqui ex hoc quidẽ nõ sunt praua æstimanda, quoniam contemplatio etiam & cognitio rerum nocet interdũ valetudini. Neq; verò prudentiam aut habitum vllum impedit quæ ex eorũ quoque percipitur voluptas, sed aliena. Etenim quæ ex discendo & contemplando capiuntur voluptates, in iis inuitamẽta quædam insunt, quibus magis ad discendũ cognoscendumq; moueamur. Quod autem afferũt, arti nulli voluptatẽ esse propositam, præclarè cecidit. Neq; enim vllius alterius actionis ars est, sed potius facultatis. Quanquã voluptatis videntur esse vnguentaria & culinaria. Quod verò aiunt tẽperantem voluptates fugere, prudentẽq; sequi vitã dolore vacantẽ, pueros autẽ & beluas voluptatem persequi, hac vna ratione omnia refellũtur. Diximus enim, qua ratione sint voluptates nonnullæ per se bonæ & honestæ, & quæ non omnes sint honestæ: eas pueri ac beluæ sequuntur: prudens autem molestiæ earum vacuitatẽ, quæ cum cupiditate & dolore coniũctæ sunt, quæ eædem ad corpus pertinent (hæ enim sunt ex eo genere) & intemperans earum exuperãtiam, ex quibus intemperãs nominatus est. Itaq; moderatus vir eas fugit, quoniam sunt & temperãtis quæ-
13 *dam propriæ. Hoc etiã inter omnes constat, dolorem malũ esse atq; fugiendũ. Nam alius absolutè malũ est, alius quia est impedimẽto. Quod autẽ ei contrariũ est quod fugiendum sit, quia fugiendum est atq; malũ, id omne bonũ. Est igitur bonũ voluptas. Neque enim ita processit refutatio, vt dissoluebat Speusippus, vt maior res minori cõtraria sit, & pari. Neque enim quis dicat voluptatẽ propriè malum quoddã esse. Sed nihil prohi-*

bet

bet summũ esse bonũ voluptatẽ, etiam si nonnulla numerentur in malis: vt si perniciosa sint aliqua scientia, tamen sit aliqua in bonis sciẽtia. Quinetiã si ab vnoquoque animi habitu proficiscantur, nõ impedita actiones, siue in omniũ actione sit beatitudo, siue in earũ aliqua nõ impedita, fortasse eã necesse sit expeti maximè. Atqui hoc ipsum est voluptas. Ita erit summũ bonũ quædã voluptas, et iã si aliqua in malis, si ita res ferat, ponantur omnino. Ob eamq́; causam beatã vitã & iucundam ducũt omnes, & cum voluptate beatitudinẽ cõiungũt, nec iniuria. Nulla enim actio si impedita sit, perfecta esse potest. Beatitudo autẽ vndiq; perfectũ quiddam & absolutũ ponitur. Quocirca corporis bonis & externis atque fortuna eget beatus, vt ne hac impediri possint. Qui autẽ beatũ eum dicũt qui equuleo torqueatur, maximisq́; opprimatur calamitatibus, dũmodò vir bonus sit: seu voluntate sua, seu inuiti, nihil dicũt. Videtur autẽ quibusdã beata vita idẽ esse quod secũda fortuna, hoc ipsò quòd fortunæ bonis sit opus. Non ita est. Ea enim si immoderata est & immensa, impedimento sit beatæ vitæ, nec iam fortassis prosperitas appellari debeat. Est enim eius in beata vita certus quidã modus, terminusq́; retinẽdus. Sed voluptatẽ quidẽ esse summũ bonũ quodãmodo, hinc intelligi potest, quòd eam omnes homines & beluæ sequuntur. Nec opinio quidẽ certè omnino nulla esse potest, quam tot populi clarã illustrẽmq́; reddiderũt. Sed quoniã non eadẽ est aut videtur natura affectióve optima, idcirco nõ eandẽ omnes sequũtur voluptatem: sed tamen voluptatem omnes, non quã putant quidem, aut nominarent, sed tamen eãdem fortassis persequuntur. Est enim natura diuinũ quiddã insitum omnibus. Sed nominis hæreditatẽ sibi vendicarũt

& sumpserunt ad corpus pertinentes voluptates, quod ferè ad eas procliues sint omnes, earumq; sint participes. Quoniam igitur hæ solæ notæ sunt, idcirco has solas esse putant. Illud etiam perspicuum est, nisi sit voluptas bonum & actio, non posse iucundè viuere beatum. Quamobrem enim eam desideret, si non modo non sit in bonis, sed & in ea possit dolens viuere? Neq; enim dolor bonum sit aut malum, nisi etiam voluptas sit. Ita quamobrem eum fugiat? Non igitur quidem iucundior ac suauior sit vita boni viri, nisi etiã eius sint actiones.

41 *De iis autem voluptatibus quæ ad corpus pertinẽt, iam disserendum est nobis, quoniam quidã nonnullas voluptates vehementer expetendas dicunt, vt sunt honestæ ac liberales: non corporis, nec in quibus versatur intemperans. Quid est igitur, cur dolores contrarij sint in malis? si quidem malo bonum est contrarium. An quia quod malũ nõ est, idem etiam bonum est, ita sunt necessariæ in bonis? an ad certum aliquem vsque terminũ & modum sunt in bonis? Nam quibus in affectionibus motionibusq; transire modũ non licet, nec in voluptate licet: quibus licet, & in voluptate: voluptatũ autem corporis est quada immoderata copia & exuperãtia: & malus in eo cernitur, quod immodicè his perfruitur, nõ necessariis. Omnes enim modo quodam & epulis delectantur, & vino, & libidine, sed non vt ratio postulat. Contraq; fit in dolore. Neq; enim quispiã nimiũ dolorẽ fugit, sed dolorẽ omnino: quippe cùm ei nõ sit quod nimium est dolor cõtrarius, nisi forè ei qui quod immoderatum est ac nimium persequitur. Et quoniam non solum verũ enuntiandum est, sed causa etiam afferẽda est cur quicq; falsum sit (hoc enim ad fidem valet: nam cùm apparet consentaneum esse, quamobrem visum sit*

verum

verum, quod verum nō esset, tum id facit, vt vero magis assentiamur) idcirco afferenda ratio est, cur voluptates corporis magis expetēdæ esse videantur. Ac primùm quidē certè quòd depellūt dolorē. Itaq; cū maioribus quibusdā doloribus excruciātur, tum quasi medicinam quādam, singularem volunt, eamq; omnino corpore percipere voluptatem. Quoniam autem vehemētes curationes adhibentur, idcirco eas persequūtur, propterea quòd ex aduerso contrarium speciem sui exhibeat. Non igitur bonum videtur voluptas, vt dixi, duabus his de causis: quòd aliæ sunt actiones deprauatæ natura: aut simul vt orta est, qualis est ferarum: aut cōsuetudine, vt flagitiosorū hominū. Aliæ sunt medicinæ & curationes eius quod desideratur, quas melius est adesse quàm gigni. Quædam quoniā cùm perfectæ sunt percipiuntur, fortuitò sunt bonæ & honestæ. Iam percipiuntur ab iis qui aliis affici non possunt, hoc ipso quòd firmæ sunt & vehemētes. Itaq; sitim quandā sibi ipsi obsonant & cōparant. Ergo si nemini noceant, carent reprehēsione: sin noceāt, sunt in vitio. Neq; enim præsto sunt aliæ quibus perfruantur: quorū neutrū si adsit molestū est plerisq; natura. Sūt enim in perpetuo labore animātia, vt etiā naturalis ratio declarat, quæ cernere & audire molestum esse docet: sed assiduitate quotidiana & cōsuetudine sensuū assuenimus. Similiterq; in adolescētia homines ita affecti sunt propter crescendi consuetudinē, vt vinolēti: & iucunda est adolescentia. At verò qui atra bili sunt natura, ij semper requirūt desiderātq; medicinam, quòd eorum corpus continenter pungatur, propter tēperationem, & infirmis sint cupiditatibus. Atqui abiicit dolorem quæuis etiam, dū vehemēs sit doloris aduersaria voluptas: ob eamq; causam homines

intem

1 SEQVITVR vt deinceps de amicitia dicēdū esse videatur: quandoquidem aut virtus quædam est, aut cum virtute copulata. Eadem etiam ad vsum vitæ est necessaria maximè. Nam quis est, qui velit, vt ne diligat quenquam, nec ipse ab vllo diligatur, circunfluere omnibus copiis, atq; in omni rerum abundantia viuere? Etenim vt quisq; maximè opibus, principatu & potestate excellit, ita in amicitiis expetendis colendisq; maximè excellit. Quis enim esset tantus fructus in prosperis rebus, sublata benignitate, quæ & in amicos extat maximè, & amplissimis laudibus afficitur? Aut quo tādem modo sine amicis custodiri conseruariq; possent? quarum possessio quò est maior, eò plus requirit ad se tuendam. In paupertate etiā, cæterisq; asperis rebus omnibus, amicorum bonitatem perfugium solum putant commune esse omnium. Iam & adolescentes in officio continent amici, & senibus ad obsequium præsto sunt, easq; vitæ actiones fungendas, quibus propter imbecillitatem deesse coguntur: & constanti ætati comites se ad præclara honestaq; facinora præbent. Etenim si duo vna iter faciat, & maiora animo ac mente agitare, & plura conficere possunt. Ac mihi quidem certè videtur natura esse internatos & parentes: quod non solum in hominibus animaduerti potest, sed in auibus etiam, animantibusq; plurimis, iisq; omnibus, qui quodam gentilitatis iure sunt ac societate coniuncti. Sed hoc in homine est multò euidentius. Itaque hominum studiosos &

amantes laudibus afficimus. Cernere etiã licet in erroribus, quàm sit omnis homo homini cõiunctus & amicus. Videturq́ amicitia Rempub. continere, & maiore, quàm iustitia, in studio fuisse legum latoribus. Nam cum amicitia sit concordia similis, & hanc maximè sequuntur illi, & seditionem quæ ei inimica sit, omni ratione exterminant. Quòd si amicitia inter omnes esset, nihil esset quod iustitiam desideraret. At si iusti essent tamen amicitiæ præsidiũ requirerent. Et quod ius præstantissimũ est, id amicitia & charitate contineri videtur. Nec verò res est solùm necessaria, sed honesta etiã atq́ præclara. Nam & eos laudamus, qui amicos diligunt, & à multis diligi præclarũ ducimus, & nonnulli etiã viros bonos eosdem amicos putant. Sed de ea inter Philosophos multa dissensio est. Alij enim eã similitudinẽ quandam ponunt, & amicos similes. Ex quo prouerbia facta sint, Pares cùm paribus facillimè congregantur, & graculus cũ graculo, & cætera generis eiusdem. Alij contrà figulos aiunt ita esse inter se animatos, eorumq́ causas longius & à natura studiosius petũt. Euripides quidem, Terram ait cũ sicca est, desiderare imbrem: cælum autem cùm magna aqua copia abundat, terrã expetere. Et Heraclitus, Contrariũ vtile, &, Ex rebus disparibus & dissimilibus pulcherrimum concentum effici, &, Discordia effici omnia. Ab his cum multi alij, tùm Empedocles dissentit: nam pares cum paribus facillimè congregari. Quæstiones igitur naturales quoniam non sunt huius disputationis, omittamus, & eas quæ naturã attingunt humanã, quæq́ ad mores perturbationesq́ animi pertinent, tractemus: veluti, vtrum in omnibus sit amicitia, an inter malos esse non possit: & num sit vnũ modò genus amicitiæ, an plura. Qui enim

vnum

vnum esse putant quod accessionem & decessionem admittat, non satis magno illi quidem argumēto nitūtur. Habent enim accessionem & decessionem multa, quæ
2 genere inter se differūt, de quibus suprà diximus. Hæc autem facilè intelligentur, si quid sit amabile cognouerimus: quippe cùm nō videantur diligenda omnia, sed ea duntaxat, in quibus inest causa diligēdi: in quibus sunt, bona iucūda, & vtilia. Vtilia autē videri possunt ex quibus bonum aliquod cōsequitur, aut voluptas. Ita erit amabile vt finis, quod absolutè bonum fuerit, & quod iucūdum. Sed vtrum id quisq; diligat, quod absolutè bonum est, an quod sibi bono est, quæstio est: quoniā hæc interdum inter se discrepant. Itemque de iucundis rebus quæri potest. Videtur autem id vnusquisq; amare, quod sibi bono est. Quod verò perfectè absoluteq; bonum est, per se omne amabile. Vnicuiq; , quod sibi quisque bonū iudicat. Quod autē cuiq; bono sit, nō id quisque diligit, sed quod esse videatur. Nihil interest, quoniā erit amabile quod videatur: Quoniā autem ab his tribus omnes causæ diligendi proficiscuntur, cū iis quidē quæ inanimata sunt, nemini esse amicitia dicitur. Non est enim mutuus amor in eis, nec ea volunt bonis affici. Rideatur enim, si quis vinū bonis affici velit, sed integrū ac saluū omnes volunt, ad vsus suos. Atqui omnes aiunt oportere amicū velle bonis affici, eius causa nulla vtilitate quæsita. Qui autē ita volūt amicos abūdare bonis, eos beneuolos appellāt, si idē ab illo vicissim nō fiat. Beneuolētiā enim aiūt in iis, qui vicissim idē faciūt & accipiūt, amicitiā esse. Sed nūquid eò addendū est, si nō sit occulta? Multi enim propter bonitatis vtilitatisq; opinionē, etiā in eos quos nūquā viderūt, beneuoli sūt: fieriq; potest vt eorū aliquis sic in hūc sit animatus

Quocir

Quocircà hi beneuolentia inter se illi quidem cõiuncti videntur esse. Sed amicos quis eos dixerit, cũ quẽadmodũ inter se animati sint ignorẽt? Amici ergo & beneuolentia inter se aperiè colligati debẽt esse, & se propterea, vt diximus, velle vltro citroq́; bonis affici: cũ se non ignorent, propter vnum aliquid eorum quæ dicta sunt.

3 *Sed quia hæc genere differũt, amores etiã & amicitiæ. Sũt enim tria amicitiæ genera: quæ rebus amabilibus æquabiliter pariterq́; respõdẽt. Est enim suus cuiusq; generis mutuus amor haud obscurus. Et qui inter se diligũt, alteri alteros se bonis affici volũt, quia diligũt. Ac ij quidẽ qui vtilitatis causa fingũt amicitias, nõ propter se causaq́; sua inter se amat, sed quia vtilitas aliqua vtrinq; pariatur. Eadẽ est ratio eorũ, qui amicitias colũt propter voluptatẽ. Nõ enim facetos propterea diligũt quia probi sint, sed quia delectẽt. Quapropter & ij qui vtilitatis causa amicitias sequũtur, suis cõmodis: & ij qui delectationis causa, amorẽ sua ipsorum voluptate metiũtur. Nec quia boni sunt, colũtur, sed quia fructuosi & iucũdi. Sunt ergo hæ fortuitæ & fucatæ amicitiæ, quoniã nõ idcirco qui diligitur colitur, quia sit eiusmodi: sed quia vel vtilitatis præbitor sit vel minister libidinis. Quocirca celeriter hæ quidẽ tales amicitiæ dirimũtur: quippe cũ pares ac similes illi qui hæc sequũtur minus permaneat. Etenim si iã nõ sint voluptati, nec vtilitati, ab amore desistunt. Et quoniã vtilitas non permanet, aliasq; alia paritur, eo quod amicitiã cõstituerat sublato, amicitia etiã dissoluitur, quòd iis amicitia cũ illis rebus intercederet. Cuius generis amicitia maximè in senibus vigere solet. Non enim id ætatis homines voluptatẽ in amicitiis, sed vtilitatẽ sequũtur, atq; homines corroboratis iam cõfirmatisq; ætatibus, & adolescen-*

lescentes ij omnes, qui emolumentum & fructum sequuntur. Cumq́; non admodum eiusmodi homines communione vitæ consocientur: (interdum enim ne effabiles quidem iucundosq́; se esse volunt) fit vt ne hanc quidem vitæ cõsuetudinem desiderent, nisi ex ipsis fructus vtilitasq́; capiatur. Manent enim iucũdi tandiu, quã diu sperant se aliquem fructum esse capturos. Quo in genere hospitalem etiã amicitiam ponunt. At vero adolescentum amicitia voluptatis causa cõstituta videtur esse. Eorum enim cum in libidine & perturbatione vita consumitur: tum ex quo capiant voluptatem, eamq́; in præsens, id omne vel studiosissimè persequũtur. Et quia mutata ætate alia sequuntur quæ delectent, idcirco repente & amici fiunt, & ab amore desistũt. Nam eorum amicitia sæpe vnà cum voluptate deponitur, cuius generis voluptatis cita est & repẽtina mutatio. Sunt etiã adolescentes procliues ad amorẽ. Nam in motibus animi perturbatis, & propter voluptatem pars amorum potior existit. Itaque & citò diligunt, & ab amore desistunt, sæpe eodẽ die mutata sententia. Hi vnà versari totos dies cupiunt, & vitæ societate coniungi, quòd isto modo eis adsint ea omnia quæ ad amicitiam pertinẽt. At verò perfecta illa amicitia est, quæ viri boni pari virtute præditi inter se coniuncti sunt & copulati. Hi enim vltro citroq́; bonis se affici volũt, quia sint boni: boni autem sunt sua sponte. Qui autẽ amicos affici bonis cupiũt illorũ causa, ij maximè amici habendi sunt. Sũt enim suapte sponte ita affecti animo, non temerè neque casu. Manebit igitur horum amicitia tandiu, quãdiu boni futuri sunt. At virtutis manet certa & stabilis possessio. Atque etiam omnino vterque bonus est alteri: siquidem viri boni absolutè ac perfectè boni sunt: vtili-

tatesq́; ex amicitia percipient atque oblectationẽ. Qui enim verè boni sunt, iidem etiam inter se alter alterum oblectant. Suæ enim cuique eiusdem generis sunt iucundæ actiones, quales, vel similes sunt, bonorum actiones. Sed hæc talis maximè firma est & stabilis amicitia, nec sine causa. Sũt enim in ea omnia quæ amicis inesse debẽt. Omnis enim amicitia vel ad bonũ dirigitur, vel ad voluptatem, aut sine adiũctione, aut eius certè, qui diligit, atque ad quandã similitudinẽ: quæ huic per se insunt omnia. Huic autẽ similia sunt reliqua, quod per se bonum est, quodq́; per se iucũdum, quibus nihil amabilius reperiri potest, nihil copulatius. Ergo in illis inest amor & amicitia, eaq́; optima. Iure autẽ rarum est maximè istud genus amicitiæ. Siquidẽ hominũ huius generis magna est penuria, & tempore ac cõsuetudine opus est. Nam verũ illud est, multos modios salis simul edendos esse, vt inter se norint. Nec antè quidem probari aut amici esse possunt, quàm habeãt quasi signa quædam & notas, quibus vterque alterum an ad amicitiã sit idoneus, iudicet. Qui verò nimis citò ea omnia perficiunt, quæ ad amicitiã pertinent, ij se illi quidem amicos esse volunt, nec sunt tamen, nisi sint digni amicitia: itáque iudicent. Repente quidem conciliãdæ amicitiæ voluntas nascitur, amicitia non item: sed & tempus & cætera omnia, vt perfecta & absoluta sit desiderat. Quæ omnia & similia ab vtroque extant in alterum: quæ quidem in amicis inesse conuenit.
4 Quæ autem iucunditatis causa conflatur, huic est similis. Boni enim viri se vltrò & citro oblectant. Itemq́; ea quæ vtilitatibus emolumentisq́; colitur: siquidem viri boni tales se alter alteri præbent. Tum verò amicitiæ huius generis permanent diutissimè, cum ab amicis paria vt iucũditates

tates ministrantur, neque ita solùm, sed si etiam ab vtroque proficiscantur, vt facetis contingit, non vt in amãte & eo quẽ ille insano amore deperit. Neque enim iisdem rebus mouentur isti, sed ille forma huius, hic amatoris obsequio & obseruantia. Simul ac igitur forma immutata est, interdum etiam amicitia dissoluitur cum in hoc non est iucundus aspectus, ab illo hic non colitur. Sed plerique in amicitia permanẽt, si moribus similes consuetudine adiuncta mores diligant. Qui autem in amoribus non iucũditatem, sed vtilitates permutant, minus amici sunt, ac minus diu permanẽt in amicitia. Qui verò amici sunt spe quæstus & emolumenti, eorum amicitiam vtilitas commutata dissoluit: quippe qui se non inter se diligerent, sed vtilitatem & fructum. Quocirca suauitatis vtilitatisq; causa & malis inter malos, & bonis cum improbis, & neutris cum quolibet amicitia esse potest. Sed perspicuum est in solis bonis veram perfectamq; esse amicitiam. Mali enim cum malis nisi quid emolumenti consequãtur, sui gratia non lætantur. Sola etiam bonorum amicitia reprehensione & criminationibus caret. Non enim facile est criminibus aliquem oblatis credere de eo quem ipse diu probauit, atque perspexit. Præterea & fides in his viget, nec vllus relinquitur iniuriæ locus, cæteraq; omnia quæ in vera amicitia postulantur. In aliis autem societatibus nihil prohibet similia his existere. Quoniam enim homines eos etiam amicos appellant, qui vtilitatibus, emolumentis, & fructibus amicitias dirigunt: vt ciuitates, in quibus societates nasci videntur vtilitatis causa: & eos qui oblectationis causa inter se amant, vt faciunt pueri: certè hos tales homines nos etiam amicos appellemus. Amicitiæ autem genera sunt plura.

Ac primùm quidem & propriè amicitiam eam nominamus, quæ inter bonos est, quia boni sint: reliquas ex similitudine. Amici enim sunt idcirco, quia in eis aliqua est boni significatio & similitudo. Etenim iucunditas bonum quiddam iis videtur, qui studiosi sunt iucunditatis. Nec hæ ferè amicitiæ copulatæ coniunctæq; repeṙiuntur in quoquam, nec iidē vtilitatis causa fiunt amici & voluptatis, quòd non admodum coniugata sunt, quæ temerè & casu eueniunt. Cumq; in hæc genera distributa sit amicitia, improbi quidem amici futuri sunt vtilitatis voluptatisq; causa, quia similes sint: boni autē per se amici sunt, quia probi. Hi ergo absolutè amici nominātur, illi fortuitò, & quia his sunt similes.

5 *Vt verò in virtutibus, alij animo & habitu, alij vsu & actione boni nominātur: sic etiam in amicitia. Alij enim vitæ consuetudine & societate coniuncti, & se vltro & citro oblectant, & bona suppeditant. Quidā verò dormiunt, disiunctiue sunt illi quidem interuallo locorum, nec vtuntur amicitia, sed ita sunt affecti animo, vt proprio amicorum munere fungātur. Neq; enim locorum interualla funditus tollūt amicitiam, sed officia & actionem. Quòd si sit diuturna absentia, amicitiam quoque delet, ac obruit obliuione. Ex quo factum est prouerbium, Multas quidem amicitias diremisse silentium. Sed nec senes, nec seueri, idonei ad amicitiam videntur: quippe cùm nec in iis sit admodum iucūditatis, & nemo possit cum tristi, cumq; eo, qui minimè se iucundum exhibeat, viuere. Nam & dolorem natura fugit, & voluptatem sequitur maximè. Qui autem alteri alteris probati sunt, nec coniunctione vitæ sociati, beneuolis sunt, quàm amicis similiores. Nihil est enim tam amicorū proprium, quàm vitæ societas & communio,*

Præsid

Præsidia enim & adiumenta inopes desiderant, societatem vitæ etiam beati, quandoquidē eos solos esse minimè conuenit. At coniūctio vitæ esse inter eos nō potest, qui nec iucūdi sint, neque iisdem rebus moueātur: quod sodalitas videtur maximè continere. Ergo amicitia, vt sæpe dixi, videtur ea maximè, quæ inter bonos est. Amādū est enim & sequendū quod absolutè ac propter se bonū est, vel iucūdū. Id autē cuique bonū est & iucundum, quod sibi quisque tale arbitratur. At probus probo amicus est vtriusque horū causa. Sed amor animi commotioni similis est, habitui amicitia, quoniam amor nō minus iis quæ inanimata sunt tribuitur: & redamāt homines animi iudicio quod ab habitu proficiscitur. Bonisq; affici volūt, quos diligunt illorū causa, nō repētino aliquo quasi motu incitati, sed animi iudicio atq; habitu. Et quibus amici chari sunt, ij sua ipsorū bona diligunt. Cùm enim vir bonus amicus paratus est, tum in bonis eius cui est amicus, ducitur. Quocirca vterque sua bona diligit, vicissimq; reddit parem animi voluptatem & iucunditatem, quandoquidē amicitia quædam æqualitas dicitur: Hæc igitur in amicitia ea quæ in bonis est, insunt maximè.

6 *Inter seueros autem & senes, eò rarius amicitia est, quò morosiores sunt & difficiliores, minusq; delectantur sermonibus. Nam & amicitiæ propria sunt hæc omnia, & eā contrahunt. Itaque amicitiam citò adolescentes instituunt, senes non item. Neque enim eos charos habent, quorum consuetudine minus delectantur. Itémque ne seueri quidem & tristes. Et quanquam hi tales homines beneuolentia inter se coniunguntur, cùm suos bonis velint affici, & adiumenta præsidiaq; suis rebus duris petant, tamē non admodum amicitiam quærunt, quòd*

cum aliis versari nequeant, neque se vltrò & citrò vllare oblectare, quæ ad amicitiam omnia maximè videntur pertinere. Sed perfecta cum multis amicitia institui non potest: sicut fieri non potest, vt insano amore vnà multi colantur. Sunt enim nimiæ illæ amicitiæ, sed hoc tale cum vno natura videtur intercedere. Eidemq; simul probari ac placere multos, nec facile est, nec fortasse vtile. Experiendum etiam est, & consuetudo adiungenda, quod est omnium difficillimum. Nam vtilitatis causa & delectationis multis idem placere potest, quòd & huius generis sit magna copia, & ad breue exiguumq; tempus durent obsequia. Horũ autem generum magis illa nomen videtur obtinere amicitiæ, quæ delectatione & iucunditate vitæ dirigitur: cum in hoc genere eadem efficiant vtrique, & se alter alterum oblectent, & iisdem rebus moueãtur: quales sunt adolescentum amicitiæ, in quibus magis viget liberalitas. At verò quæ emolumentis, vtilitatibus, & fructibus colitur amicitia, illorum est hominum propria qui in foro iudiciisq; versantur. Et beati quidem vtilitates & emolumenta non desiderant, iucunditatem delectationemq; desiderant. Viuere enim cum aliquibus cupiunt, & molestias ferunt illi quidem ad tempus, perpetuò tamen ne bona quidem, si molestiam afferant, quisquam perferre possit. Itaque amicos suaues diligunt, quos quidem par est etiam ipsis probos esse & sibi, & amicis. Sic enim eis ea suppetent omnia, quæ amicis adesse debẽt. Qui verò sunt aliquo imperio præditi, ij amicis distinctis ac disparibus vtuntur. Ex aliis enim vtilitates percipiunt, alios habent ministros libidinũ: quæ duo non ferè in eodem reperiũtur. Neque enim aut eos eligunt, qui virtute quasi sale sermonis iucunditatem

ditatem condiant, aut eos qui sint ad res honestas vtiles: sed facetos qui delectandi studio teneantur, & qui possint imperata exequi. Atqui non solent admodum hæc in eodem inesse. Dictum est virum bonum eundem vtilem & iucundum esse: qualis amicus non est superiori, nisi etiam virtute superetur. Sin minus non est par inferior proportione. Cuius generis non admodum multi solent existere. Ergo in æqualitate ac parilitate hæ, de quibus dixi, amicitiæ cernuntur; quoniam eadem ab vtrisque extant in alterum: & sibi ea vicissim optant, aut aliud cum alio, vt dixi, vt voluptatem vtilitate cõmutant. Hoc etiam dixi, eas non esse æquè amicitias, nec diu permanere. Atque etiam videntur ex similitudine & dissimilitudine eiusdem & esse amicitiæ & non esse. Nam amicitiæ videntur si cum ea conferantur, quæ virtute dirigitur. Cùm enim iucunditas in illa, in hac insit vtilitas, hæc insunt in ea omnia. Quia verò hæc criminationibus caret, stabilisq; ac firma est, illæ autem decidunt celeriter, aliisq; multis differunt, non videntur amicitiæ propter dissimilitudinem.

7 *Atque etiã aliud genus est amicitiæ, quod in excellentia & præstantia cernitur: qualis est patri cum liberis, & omnino seni cum adolescente, viro cum vxore; & principi cum eis quibus præsit. Sed hæ inter se differunt. Non enim eadem est parentibus cum liberis, & iis qui præsunt aliis cum iis qui eorum in imperio erunt: nec patri quidem eadem est cum filio; & filio cum patre: nec eadem viro cum vxore, vxoriq; cum viro. Nam cùm alia virtus aliudq; officiũ horum vnicuique sit attributum, diuersæ autem & variæ sint causæ diligẽdi: fit, vt alia atq; alia intercedat amicitia & charitas. Nec eadem quidem vtrique ab altero offi-*

cia tribuũtur, nec id quidẽ postulandum est. Cum verò ea tribuũt liberi parẽtibus, quæ debẽt procreatoribus, parentes vicissim liberis quæ ex se natis debent: tum ibi stabilis quædam & honesta amicitia exoriatur necesse est. Qua etiã ratione in cæteris amicitiis quæ in excellẽtia sunt, amor debet existere: velut maior ei charitas debetur qui præstantior est, quàm ipse alteri debeat: & ei ex quo maiores vtilitates fructusq́; capiãtur, itemq́; cæteris omnibus. Cum enim amor pro dignitate exoritur, tum existit quodam modo par ratio, in qua amicitia cõsistit. Sed non eodem modo in iustitia & amicitia par ratio æqualitasq́; cernitur: primo enim loco, spectari debet in iustitia dignitatis æqualitas: secũdo, quãtitatis. At in amicitia contrà, primũ locũ, quãtitatis: secundũ, dignitatis par ratio tenet. Quod ex eo perspici potest, quia si magna sit inter amicos virtutis, vel vitij, vel facultatũ, vel aliarum rerũ distantia, nõ iã in amicitia permanẽt, nec dignos quidẽ se iudicãt. Quod in diis est multò etiam euidentius, ex eo quòd omnibus bonis longè ac multùm superent. Id quod etiam in regibus cernere licet, quorum amicitia multò his inferiores homines se indignos putãt. Et nequam homines se indignos censent, qui optimis viris atque sapientissimis sint amici. Ergo incertum est quatenus hi permaneant in amicitia, cùm si multa eximantur, etiã maneant: sin magna sit distãtia, vt Dei, non iã manet amicitia. Ex quo existit quæstio, num aliquando velint amicos bonis quàm maximis affici, vt deos esse. Neque enim iam amici futuri sunt: non igitur erunt in bonis: nam in bonis amicorum amici numerantur. Quòd si præclarè illud dictum est, suum quenq́; amicum bonis affici velle illius causa, profectò permaneat ille in amicitia oporteat

teat, qualiſcunque hic ſit futurus: Homini autem maximè bona ille quidē optabit, ſed non omnia fortaſſis. Se
8 enim quiſque maximè vult bonis affici. Sed plerique videntur diligi malle quàm diligere, propter ambitionem: itaque multi aſſentatorū amantes reperiūtur. Eſt enim amicus nimius aſſentator omnis, aut certè ſe eum vult videri, qui diligere, quàm diligi malit. Hoc autē ipſum diligi haud procul abeſt ab honore, cuius cupiditate multi inflammantur. Neque verò honorem propter ſe expetunt, ſed temere & caſu. Plerique enim ex eo voluptatem percipiūt, ſi à viris qui imperio præditi ſunt, honore afficiantur: quòd ſperant, ſi qua re egeant, fore vt ab iis conſequantur. Atqui quaſi teſtimonio beneficij honore lætātur. Alij cùm à probis & doctis honorem ſibi tribui cupiant, illorū de ſe cōfirmare volunt opinionē. Gaudent igitur ſe probos eſſe, illorū quidem fidē adhibentes qui iudicio approbant. Sed per ſe gaudent ſe charos eſſe: quod ideò melius eſt, quàm honore affici. Et per ſe expetenda amicitia eſt, quæ magis in eo eſt, vt colas, quàm vt colare. Quod ipſum matres declarant: quæ ex eo quòd diligant, magnā capiunt voluptatem. Quædam enim dant nutriendos liberos, eosq́; vltrò ac ſponte diligunt, nec ab iis viciſſitudinē amoris poſtulāt, ſi fieri vtrunq; nō poſſit, ſatisq́; ſibi fieri putant, ſi præclarè cum illis agi perſpiciant. Quinetiam eos diligunt, quamuis eis non poſſint per ignorationē tribuere quæ debēt. Cumq́; in eo magis cernatur amicitia, vt diligamus, ijq́; homines laudētur, quibus chari ſunt amici, fit vt amicorum vis omnis ſit in amore. Itaque omnes qui hoc faciūt pro dignitate, amici ſtabiles, cōſtantesq́; ſunt habendi, eorumq́; firma & ſtabilis amicitia eſt. Iſto etiam modo qui diſpares ſunt, quoniam exæquari

possunt, facilè sunt amici futuri: æqualitas autem & similitudo quadã amicitia est, ac similitudo eorum maximè, qui virtute ac moribus congruunt. Hi enim cum stabiles sint per se & cõstantes, libenter etiam vnà manẽt atq; versantur: nec aut flagitia desiderant, aut ministri eorum sunt: quinetiam ea potius arcent & reprimunt. Probos enim nec ipsos peccare decet, nec amicos sinere vt administri sint libidinis. At verò in malis nihil firmum, nihil stabile est: quippe qui similes non permaneant. Ad tempus amicitias colũt, cum interim sua inter se alter alterum improbitate flagitiisq; oblectant. Illi autem qui vtilitatibus amicitias dirigunt, quiq; suauitate, diutius colunt amicitias. Nam amici sunt tandiu, quandiu alter alteri vtilitates oblectationesq; suppeditant. Ex contrariis verò hæ potius nomen amicitiæ obtinent, quæ vtilitatis causâ comparantur: vt egens locupleti, docto inscius. Qua enim quisque re eget, eam cum sibi dari velit, aliam dat vicissim. Quod ad genus trahere ac transferre licet amatorem & eum qui amatur, & formosum & deformem. Quocirca ridiculi videntur interdum amatores, qui suo in suos amori illorum erga se amorem æquum censent pariter æqualiterq; respondere. Siquidem digni amore sunt, fortassis æquè postulandum est: sin nihil tale habeant, sit ridiculum. Nec contraria quidem certè contraria suapte natura sibi expetunt, sed fortuito & casu: Estq; appetitio mediocritatis quod bonum dicitur, velut ei rei quæ sicca est, non optabile est nec vtile, humidam fieri, sed ad mediocritatem peruenire: itemq; rei calidæ ac cæteris. Sed hæc quidem, quoniam
9 *non sunt huius disputationis, missa faciamus. In iisdem rebus, vt initio dixi, versari amicitia & ius videntur:*

dentur: quippe cùm ius in omni ſocietate & amicitia cernatur. Itaque amicos appellant eos quibuscum vnà & nauigant & militant. Itemq́ eos quibuscum quampiam aliam ineunt ſocietatem, quandiuq́ homines inter ſe communione aliqua conſociati ſunt, tādiu, quoniam iuris etiam communio, amicitia permanet. Et prouerbium illud rectè: Amicorum bona communia, quandoquidem amicitia in ſocietate conſiſtit. Sūt autem fratrum & ſociorum omnia communia, certa reliquorum: maioresq́ ſunt horum copiæ, illorum minores: quoniam amicitiæ aliæ grauiores & ſanctiores ſunt, leuiores infirmioresq́ aliæ. Sed iura inter ſe diſcrepant. Neque enim eadem intercedunt parentibus cum liberis, neque fratribus inter ipſos, nec ſociis, nec ciuibus. Similiterq́ in aliis amicis. Aliæ igitur atque alia iura ſunt & officia, aliæ atque aliæ iniuriæ his omnibus inter ipſos, acceſſioneq́ ac creſcendo valent, ſi maiora extent in amicos. Vt ſocio grauius eſt adimere pecuniam, quàm ciui: & fratri nō opitulari, quàm externo, & patrem verberare, quàm quemuis alium. Ius autem vnà cum amicitia augeri ſolet, quippe cùm & iisdem in rebus ſint, & æquè pateant. Partibus etiam Reipubl. ſunt ſimiles ſocietates. Cōueniunt enim homines emolumenti alicuius cauſâ, & vt aliquid ſuppeditent, quod ad vitæ vſum cultúmque pertinet. Societas autem ciuilis vtilitatis alicuius gratia iam ab initio conſtituta eſſe, & permanere videtur. Hoc enim legislatores inueſtigant: & id demum ius eſſe fatentur, quod publicè prodeſt. Ac cæteræ quidem ſocietates ſibi quaſi finem propoſitam habent ſuam quæque vtilitatem, vt nautæ eam quæ nauigationi propoſita eſt, ad conficiendam pecuniam,

vel

vel ad aliquid generis eiusdem: & commilitones eam quam spectat res bellica, siue pecuniarum, siue victoriæ, siue vrbis cupiditate ducantur: Itemq́; tribules & populares. Quanquàm nonnullæ societates voluptatis causa constitui solent, vt eorum qui choros ducunt, & eorũ qui pecunias in conuiuia conferunt, quæ sacrificij causa & conuentus fieri solent, quæq́; omnes ciuili subiectæ vidētur. Non enim ciuilis consociatio eius quod in præsens prodest, sed in omnem vitam, cupiditate ducitur. Qui autem sacra faciũt, atque in ijs conuentus, ij cùm diis honorem tribuunt, tum sibi ipsi cessationem suauem & iucundam comparãt. Constat enim sacra & conuentus olim fieri solitos, posteaquàm fruges perceptæ erant, vt primitias, quòd id maximè temporis cessarẽt. Hoc igitur apparet, omnes societates partes esse ciuilis, cuius generis societates etiam amicitiæ eiusdem generis
10 *consequuntur. Rei autem publicæ tria sunt genera, totidemq́; ab illis defectiones, quasi earum euersiones. Sunt autem Respublicæ, Regia potestas, & ea quæ est in potestate optimorum, & tertia ea quæ ex censu nominata est, quam aptè Censuum potestatem appellari licet: quam eandem plerique Rempub. solent dicere. Harum autẽ omnium optima est regia: deterrima, timocratia. Defectio à regia, tyrãnis dicitur: vtrique enim vnus præest. sed tamen inter eos permultũ interest. Tyrannus enim suis, rex eorum quibus præest, solet commodis vtilitatiq́; seruire. Neque enim rex habendus is, qui se ipse non est contentus, quiq́; copiis adiumentisq́; omnibus minus excellit. Qui autem eiusmodi sit, is cùm nullo egebit, tum rationẽ nullam ducet commodorum suorum, sed eorum qui ipsius in imperio erunt: Nam qui se eum non præstat, eum sorte delectum quendam*

dam potius, quàm regem licet dicere. At tyrannis huic aduersaria est, siquidem sibi suisq; rationibus consulit. Quo magis perspicuum est, eam esse deterrimã. Quod enim rei optimæ contrarium est, idem pessimum, & flagitiosissimum. Ex regali autem potestate in tyrannidẽ Respublica delabitur. Est enim corruptela singularis principatus tyrannis, & rex si vitiosus sit, tyrannus efficitur. Ex eo autem statu reipublicæ qui est in potestate optimorum, in eum fit mutatio, in quo pauci præsunt: idq; culpa & vitio principum qui res ciuitatis nõ diuidunt pro dignitate, sibiq; vel omnia, vel maxima cõmoda sumunt, & magistratus semper ad eosdem deferunt: quòd plurimi faciant diuitias. Ita pro optimis pauci, iiq; vitiosi imperãt. Quæ autẽ ex censu potestas nominata est, in popularem vertitur. Sunt enim hæ finitimæ, quòd & censu potestas est in multitudine, & ij æquo iure viuunt qui censi sunt. Sed quoniam popularis potestas paulum à statu Reipub. discedit, minimè vitiosa est. Ac Reipub. quidem status hoc ferè pacto labefactari mutariq; solent, quòd ita & paulum admodum, & facillimè mutentur. Earum autẽ similitudines & quasi exempla licet in familiis cernere. Nãm quæ patri est cũ liberis societas, regalis potestatis formã obtinet. Patri enim curæ sunt sui liberi. Hinc etiam Homerus Iouem patrem vocauit. Vult enim regiam potestatem esse patrium imperium, etsi in tyrannidem versum sit apud Persas, qui pro seruis vtuntur liberis suis. Est etiam domini in seruos tyrannicum imperium, quippe in quo domini commoda agantur. Atque hoc quidẽ sus rectum videtur, Persicum a recta via deflexit. Dispares enim disparia imperia sequuntur. Viro autem cum vxore ius id intercedit, quod est in optimorum po-

testate. Nã pro dignitate vir iis in rebus imperat, quæ digna sunt viro: quæ autem fœminam decent, eas ei tribuit. Quòd si in omnibus præsit vir ac dominetur, in paucorum potestatem fit mutatio, quoniam contra dignitatem suam facit, non quia est præstantior. Interdũ etiam mulieres præsunt, cum amplum patrimonium cõsecutæ sunt. Non igitur tum imperia virtuti deferũtur, sed diuitiis & facultatibus, quemadmodum in paucorum potestate. At censu potestati pariter respondet, quæ fratribus inter ipsos coniunctio est. Sunt enim pares nisi sint dispari ætate. Itaque si magna sit ætatis distãtia, non iam amicitia fraterna cõstituitur. Sed in iis maximè familiis viget popularis potestas, quæ domino carent, quòd ibi omnes pares sint: & in quibus est princeps imbecillus, & licentia concessa omnibus.

11 · *In vnoquoque autem Reipub. genere tãdiu amicitia manere videtur, quandiu ius & officium permanet. Regis quidem cum iis quibus praeest, amicitia, iis excellentia quadã beneficij cernitur. Bene enim de suis meretur. Si quidem bonus sit, eò omnia referet vt sint quàm beatissimi, quemadmodum pastori oues curæ esse solent. Vnde Agamemnonem Homerus pastorem populorum vocauit. Quo etiam in genere patrium est imperium: sed magnitudine beneficiorum præstat. Pater enim is est, qui, quod omnium maximum est procreauit, is qui aluit, is qui erudiuit, quæ eadem tribuuntur etiam maioribus. Natura enim praeest & pater liberis, & progenitores nepotibus, & rex iis, qui in eius sunt imperio. Hæ autem amicitiæ in excellentia quadã præstantiaq; cernuntur. Itaque honos tribuitur parẽtibus. Nec verò eadem iis officia & iura tribuuntur, sed pro dignitate, præsertim cum hoc etiam modo amicitia indicet*

dicetur. Eadē autem amicitia est viro cum uxore, quæ in potestate optimorum. Virtuti enim conuenienter & optimo cuique semper maxima quæque commoda, & cuiq; pro dignitate, itemq́; iura & officia tribuuntur. Quæ eadem est iustitiæ ratio & sentētia. At verò fratribus inter ipsos amicitia similis est sociorū amicitiæ. Sunt enim pares & æquales, cuiusmodi quidem in hominibus ijdē ferè mores sunt, eadem studia, eadē voluntates. Huic etiam finitima ea est, quæ viget in cēsus potestate: pares enim ciues volunt esse ac probi, viciſſimq́; imperare, & id æqualiter: quod idem in amicitia valet. Sed in euersionibus Rerum publicarū, vt officia & iura ad breue exiguumq́; tempus durant, sic etiam amicitia: quæq́; est in peſſima, ad breuiſſimum durat. In tyrannorum enim vita aut nullus, aut certè perexiguus locus est amicitiæ. Nam quibus hominibus nulla societas est inter ipsos, nullaq́; communio, principi cū eo cui præest, in iis nulla est inter eos amicitia: quando ne ius quidē, nisi fortè quale est artifici cū instrumento, & animo cum corpore, & hero cum famulo: ab his enim percipiunt vtilitates ij qui vtuntur. Et amicitia nulla est, nec ius vllum cū rebus inanimis, nec cū equo quidē & boue, nec cū seruo quia seruus est. Nulla est enim societas nobis cū illo, cū præsertim seruus instrumentū sit animatū: & instrumentū, seruus inanimus. Quia ergo seruus est, nulla est nobis cum eo amicitia, sed quia homo. Sic enim nati videmur, vt inter omnes esset iuris societas quædam, inter quos poſſit esse legis conuentorúmque communio. Ita etiam amicitia, quia homo est. In tyrannide autem ad perbreue tempus manet amicitia iurisq́; cōmunio: at in populari potestate diutius. Multa enim sunt æquo iure vtentibus hominibus inter se

commu

12 *communia. In ſocietate igitur ac communione, vt diximus, omnis amicitia cōſiſtit. Sed hinc eam quæ inter ſanguine coniunctos & ſocios intercedit, licet excludere. Quæ autem ciuibus, tribubus, & hominibus vnà nauigantibus inter ipſos eſt amicitia, quæq; ſunt eius generis, eæ ſocietatibus ſunt communitatibusq; ſimiliores, quippe quæ ſtipulatione quadam conſtare videantur. Quibus etiam hoſpitalem aſcribere licet. Gradus autē plures ſunt cōiunctionis ſanguinis, qui à patria omnes profecti ſunt. Nam & parentes ex ſe natos diligunt, quòd ſint quiddam ipſorum: & nati parentes, quòd illorum pars quædam ſint. Atqui magis nôrunt parentes quos procreârint, quàm nati ſe ab illis procreatos: coniunctiusq; eſt & copulatius ei quod procreatum eſt, id omne quod ipſum generauit, quàm generatū eſt ei, quod procreauit. Quicquid enim id eſt quod ab alio profectum ſit, ei coniunctum eſt, vnde fluxerit, vt dens & pilus & quiduis aliud ei, qui ipſum habet: Illorū nihil ei vnde ortum eſt, aut certè minus, idq; progreſſu temporis. Nam & parentibus liberi ſimul ac orti ſunt, chari ſolent eſſe, & liberis parentes progredientibus ætatibus cùm diſpicere & ſentire cœperunt. Ex quibus perſpicuum eſt, quid ſit cur maior ſit ſenſus amoris in matribus. Nam æquè parentibus vita liberorum chara eſt, atque ſua. Nam cùm ſint orti ex iis, quaſi alteri ijdem ſunt, propter ſeiunctionem. Et natis quidem parentes chari ſunt, quòd ab illis natura ſint procreati. Fratres autem idcirco inter ſe diligunt, quòd ex iiſdem orti ſunt parentibus. Quæ enim ipſis cum illis eſt coniunctio, ea idem inter illos efficit. Itaque eundē ſanguinem prædicant, eandemq; ſtirpem & ſobolem, cæteraq; generis eiuſdem. Sunt igitur in diuiſis ſeiunctisq; rebus, eædem*

res

res quodam modo. Magnum est enim ad amicitiã momentum, vnà educatos, & æquales esse; quoniam & æqualis æqualem delectat, & socij sunt qui similes sunt moribus. Quocirca sociorum amicitiæ fraterna similis est. Atque etiam patrueles, reliquiq; cognati & propinqui ob eam causam coniuncti inter se copulatiq; sunt, quòd ex ijsdem nati sint. Aliiq; eorum coniunctiores sunt, alieniores alij, quòd vel propius parentem & autorem attingant, vel ab eo absint longius. Quæ autem est & natis cum parentibus amicitia: & hominibus cum diis, ea constituta est tanquam cum bono atque præstanti. Optimè enim de nobis meriti sunt, præsertim cùm & procrearint nos & aluerint, & erudierint procreatos. Accedit huc suauitas quædam maior oportet ac vtilitas, quàm in alienorum amicitia, quò vitæ est inter eos arctior communio. Insunt etiam in fraterna amicitia ea omnia, quæ in sociorum, ac multò etiam magis in probis & omninò similibus, quò coniunctiores sunt, arctiusq; se inter se ab ineunte ætate diligunt: quoq; sunt similiores moribus ij qui ab eisdem procreati sunt, vnà educati, eadẽ disciplina eruditi & instituti. Huc etiã accedit comprobatio diuturna, maximum & arctissimum vinculum. Eiusdem collatione rationis ea omnia sunt in reliquis cognatis, quæ ad amicitiam pertinent. Sed inter virum & vxorẽ natura pe perisse amicitiam videtur. Est enim homo ad coniugiũ natus magis, quàm ad ciuilem societatem: quò prior est domus magisq; necessaria, quam ciuitas: & quò est animantibus procreatio cõmunior. Ac bestiæ quidem hoc vnum spectant & sequuntur, homines autem non procreandi modò causâ vnam in domum cõueniũt, sed eorum etiam parandorum quæ ad vsum vitæ pertinent.

Statim enim dispertita sunt officia, suntq́; alia viri, alia uxoris propria. Prosunt igitur vterq; alteri sua in commune conferentes, ob eamq́; causam suauitas in hac tali amicitia inest, vtilitasq́; maxima. Qui si probitatẽ ad eã attulerint, virtute cõstituta videri potest. Est enim vtriusque virtus propria, qua se oblectare possint. Et quoniam nati liberi vinculum quoddã videntur, idcirco qui orbati sunt, facilius dissociantur. Nam & liberi commune vtriusque bonum est, & quod commune est aliquorum, omne eos coniungit & continet. Quam autem vitæ degendæ rationem vir & uxor vna sequi debeant, & amici omnino, hoc quærere nihil aliud est, quàm quemadmodũ iura & officia tueri debeãt. Neq; enim idem homini est cum amico & extero, & socio

13 *& condiscipulo. Cùm autem tria, vt initio dixi, genera amicitiæ sint, & in vnoquoque genere alij amici pares sint, alij superiores: (nam & boni inter se amici sunt, & præstantior deteriori est, itemq́; suaues & vtiles æquatis emolumentis & præstantibus) illi quidem qui sunt æquales, pares esse debent in amore, cæterisq́; rebus: qui non sunt æquales, iis proportione præstantiæ tribuendum est. Existunt autem sæpe criminationes & querelæ in amicitia, quæ ad fructum refertur, vel sola, vel maximè, nec sine causa. Quoniam enim ij, qui virtutem in amicitiis conciliandis sequuntur, propẽsi sunt ad bene vltrò & citrò merendũ, quod virtutis & amicitiæ est proprium, eoq́; certatim properant: in iis nec criminationes incidũt, nec pugnæ. Neque enim eo quisquam offenditur, cui charus sit, quiq́; de se bene mereatur: quinetiã si gratus est, ei refert gratiam. Et qui cũ fœnore consecutus est quod volebat, is nunquã de amico cõqueretur, cùm vterq; boni cupiditate ducatur. Ne*

in iis quidẽ ferè quæ suauitatis causa cõparãtur, incidunt. Si enim vitã victũsq; communis eos delectat, iã vtrinq; quod volũt, aderit. Et ridiculus sanè videatur, si quis eum accuset cuius cõsuetudine minus delectetur, cùm liceat ab eius abesse consuetudine. At verò plenæ sunt obiurgationum, plenæ querelarum & criminationum hæ omnes quæ fructibus emolumentisq; diriguntur. Nam qui spe mercedis, vsu, & consuetudine implicati sunt, semper maiora desiderãt: seq; minora habere putant, quàm digni sint: queruntúrq; nõ tantas se opes quantas requirerent pro dignitate esse consecutos. Qui autẽ benignè faciunt, non possunt tantis iuuare copiis, quantis illi indigent, qui accipiũt. Sed videtur vt ius duplex est, alterum nõ scriptum, alterũ scriptũ: sic emolumentum quod ex rebus vtilibus capitur, alterũ à more, alterum à lege proficisci. Oriuntur ergo querelæ tum maximè, cum eam vtilitatem non percipiunt, propter quam rem contraxerant. Ac ea quidem vtilitas quæ lege introducta est, certis verbis cernitur, quæ partim sordida est, cum de manu in manum res traditur: partim ad tẽpus liberalior & honestior, sed pactione adhibita quid pro quo reddendum sit. Certũ in hac est quid debeatur, non dubium, sed moram & cunctationem habet amicitia dignissimã. Itaque horum apud quosdam nulla sunt iudicia, sed sibi charos esse putant oportere eos, qui ex fide rem cum ipsis contraxerint. At verò quæ moribus cõparata est, certa & solenni verborum formula non constat, sed tanquam amico dant beneficium, aut alij qualiscunque sit. Par autem aut plus eo exigit, quasi verò non dederit, sed fœneratus sit beneficium, nec item commutarit. Nec eadem erit eius qui contraxit rem, & eius qui dissoluit criminatio. Hoc ita

fit propterreà, quòd omnes vel certe cõplures honestarum rerum studio illi quidem trahuntur, sed tamen vtilitatem & fructum sequuntur: & quòd pulchrum est, bene facere, non vt gratiam exigas, beneficiis autem affici vtile & fructuosum. Referenda quidẽ par gratia si modò possis, idq́; vltro. Neq; enim amicus quicquam inuitus facere debet, quasi verò iam inde ab initio peccarit, acceperitq́; ab eo beneficium, vnde minus debuit. Non enim ab amico acceperat, neq; ab eo, qui ob hanc causam contulerit. Vt igitur in rebus cõmutandis certa formula verborum, eum par est qui beneficium accepit reddere, atque polliceri, si modò possit, se gratiam esse relaturum. Nam si minus possit, ne is quidẽ qui dedit, reposcat. Ergo si possis, reddendum beneficiũ est. Atq; etiam in primis, qui beneficia dederit, & qua de causa, ponderandum est: vt etiã his de causis expectet ille, aut minus expectet. Sed hoc habet dubitationem, vtrũ referenda gratia officium eius qui accepit emolumento & fructu ponderandũ sit, an eius qui dedit beneficio. Nã cum beneficiis afficiuntur homines, extenuates eiusmodi se à beneficiis accepisse prædicãt, quæ & illis exigua erat, & ab aliis accipere licebat. Illi contrà quæ & maxima deferre potuerint, & quæ ab aliis non potuissent accipere: idq́; rebus eorũ asperis, aut calamitatibus generis eiusdem. Vtrum igitur si amicitiã vtilitas constituat, fructus quem ex beneficio tulit, is cui delatum est, mensura sit, quæstio est. Hic enim indigebat, ei opitulatur alter, quanquam parẽ aliquando gratiam accepturus. Quoniam igitur tanto fuit præsidio, quanta in alterò secuta est vtilitas, tantùm etiam reddẽdum est, quantum acceperit, aut plus eo etiam: quoniam hoc multò est præclarius. In amicitiis autem, quas virtus

contr ah

contrahit, quoniam nullæ obiurgationes existunt, officium æstimandum est ex eius qui contulit animo & voluntate. Virtutis enim & morum laus omnis in animi iudicio, & voluntate consistit.

14 *Atque etiam in iis amicitiis in quibus excellentiæ quædam sunt, querelæ incidũt. Nam cum vterque plus sibi tribui æquum cẽseat, hoc si fiat, amicitia dissoluitur. Qui nanque melior est, is sibi maiora deberi existimat, quod plus probo tribuendum sit. Eadem est eius, qui maiorem vtilitatem affert, ratio & sententia. Eum enim, qui ad nullam partem sit vtilis, paria emolumenta consequi negant oportere. Famulatum enim non amicitiã esse, nisi pro dignitate officiorum ea constabunt, quæ sunt amicitiæ propria. Putant enim vt in societate pecuniarum, sic in amicitia, plus accipere oportere eum, qui plus contulerit. At inops & deterior, contra. Amici enim veri & perfecti esse subuenire egentibus. Quis enim fructus, inquiunt, quæ vtilitas manet eum, qui probo aut potenti sit amicus: siquidem nihil sit consecuturus? Ac rectè quidem vterque reposcere, & exigere videtur. Plusq; tribuendum vtrique est ex iis rebus quæ vigent in amicitia: non idem quidem, sed superiori plus honoris, inopi plus emolumenti. Virtutis enim & beneficentiæ merces est gloria: inopiæ & indigentiæ præsidium, quæstus. Quæ etiam in rebus publicis similitudo perspicitur. Nec enim honos ei tribuitur, qui nihil confert in Rempubl. studij, nihil operum, nihil facultatum. Quod enim commune est & publicum, datur ei qui Reipublicæ consulit. Atqui honos communis est, communis gloria. Non enim fieri potest, vt quis simul & à repub. locupletetur, & gloriam consequatur. Quoniam enim nemo potest in omni negotio se premi, suasq; opes*

imminui sustinere, qui rei nummariæ iacturam fecerit, ei honorem tribuunt: qui muneribus non corrumpitur, pecunias. Quod enim cuique tribuitur pro dignitate, id exæquat, vt dixi, tueturq́ amicitiã. Sic etiã cum iis agendum est, qui non sunt pares. Et cui vel ad opes adiumentum allatũ est, vel ad virtutem, is honorem debet reddere, vicissimq́ id reddendum, quod quisque possit. Exigit enim & postulat amicitia, non quod cuique debetur, sed quid quisq́ efficere potest. Neque enim id possit fieri in omnibus, quod in iis cõtingit honoribus, qui diis debentur & parentibus. Nam & nemo est, qui parem iis gratiam referre possit, & tamen qui eos quocunque officio, & obseruatione potest, colit, is vir bonus habetur. Itaque filio non videtur concessum, vt patrem exheredet, patri licet liberos. Par est enim filium qui obligatus est beneficia reddere: qui si omnia efficiat, nullam tamen partem videatur illius meritorum assecutus: Ita semper illius beneficiis obligatus est. Quibus autem quispiam debet, ei quoniam illi condonare possunt, & patri licebit. Sed nemo est ferè, qui filium velit vnquam exhæredare, nisi qui insigni quadam improbitate sit preditus. Nam præter naturalem amicitiam communis etiam humanitas impellit, vt ne omni præsidio desertum eum esse patiamur. Qui si facinorosus sit, cauendum est, aut non laborandum certè vt opitulemur: plerique enim beneficiis affici volunt, ipsi conferre vt rem inutilem, nolunt. Ac de iis quidem hacte-nus.

ETH

ETHICORVM ARISTOTELIS

LIBER IX.

IN OMNIBVS *autem amicitiis, quæ non sunt eiusdem generis, comparatio & proportio, vt dictum est, & exæquat amicitias, & conseruat. Quod in ciuili societate contingit, cum in sutorem pro calceis, & in textorem, cæterosque omnes extat remuneratio pro dignitate. Atque huc quidem numus comparatus est, quasi rerum omnium mensura, communis: vt ad eum referatur, ex eoq; ponderentur omnia. Sed in amoribus interdum amator queritur, sibi in amore parem non esse eum, quẽ amet, cùm in eo nihil fortasse dignum sit amicitia. Sæpe etiam amasius queritur de amatore, quòd cùm prius promiserit omnia, tamen nihil eorum, quæ promisit exoluit omnino. Quod tum euenire solet maximè, cùm ille libidinis causâ amasium colit, hic vtilitatis gratia amatorem, nec vtrique adsunt. Quoniã enim amicitia his de causis constituta erat, dissociatio & distractio sequitur, cum minus extant ea, à quibus causæ profectæ erant diligendi. Neque enim se inter se diligebant, sed quæ aderant, & suppetebant, quæ quoniam infirma sunt nec stabilia, etiam amicitiæ sunt eiusmodi. At verò amicitia, quam morum similitudo bonorum conglutinauit, quoniam propter se est, permanet, vt dixi. Sed amici dissidẽt inter se tum, cùm alia atque optabant eis obueniunt. Nam simile esse aiunt, ac si nihil fieret omnino, cum non, quod volunt consequuntur. Quod citharœdo cuidam contigit, cui cum quispiam pollicitus esset, quò melius caneret, eò se maiorem*

mercedem esse daturum, isq; postridie exigeret mercedem: eum respondit cũ voluptate compensasse voluptatem. Ac si hoc quidem vterque volebat satis habuit: sin ille voluptatem quam ceperit, petebat, ille quæstum au cupabatur quo caruit: non rectè, neque præclarè ad societatem accidit. Quo enim quisque eget, ad id etiã attentus est: quod vt assequatur nihil est nõn daturus. Vtrum autem pretium rei eius sit præscribere qui dat, an qui accipit, quæstio est. Qui enim dat, videtur illi permittere. Quod aiunt Protagoram facere solitũ, qui cum docuisset quidlibet, iubebat eum æstimare qui didicisset, quanti videretur, scientiam, & tantumdem ferebat. In quibusdam eius generis satis est,

Merces digna viro.

Qui verò primùm argentum acceperunt, deinde nihil præstant eorum quæ professi sunt propter promissorum magnitudinem, iure sunt illi quidem vituperãdi. Neq; enim exoluunt, quod promiserunt. Quod certè coguntur Sophistæ facere, quòd nemo sit qui quæ sciant illi, argento dignũ existimet. Ac isti quidem quoniam non perficiunt in quæ mercedem acceperunt, iure reprehenduntur. Inter quos autem nullum pactum mercedis interuenit, hi quoniam vltro dant, omni, vt dixi, reprehẽsione carent. Hanc enim talẽ amicitiam virtus contraxit, in qua ex animo & voluptate ponderanda remuneratio est. Ea enim est amici & virtutis propria. Similis etiam eorum est ratio, inter quos philosophiæ est societas & cõmunio. Neque enim aut rei tantæ dignitas pecuniis æstimatur, aut vllus honos tãti momẽti & ponderis potest existere. Sed fortassis vt erga deos, sic hic satis sit præstare quod quisq; efficere possit. Si verò non fuerit talis largitio, sed alio referatur, ea sequi debet

maximè quæ ex vtriusq; dignitate videatur. Quod si ita nō fiat, non solū necesse est, verùm etiā æquum eum qui rem tradat, pretium præscribere. Etenim si quantā hic vtilitatem quantumq; fructum ceperit, aut quātā voluptatem secutus sit, parem ille vicissim cōsequatur, ab hoc pretium obtinebit. Nam in rebus venalibus hoc cernere licet. Et nōnullis in locis leges sunt, quæ voluntariorum contractuum iudicia vetant fieri, quòd eum deceat decidere, cui habita sit fides: sicuti cū eo societas & ratio contracta est. Cui enim res tradita sit atq; permissa, eum iustius quàm qui permiserit, putant constituere posse. Nam permultas res non tantidem qui habent, & ij qui sibi dari volūt, æstimant. Sua enim cuiq; & quæ quisq; dat, magni pretij videntur: attamē compensatio tanta sequi debet, quantum ij qui acceperint, præscripserint: quanquam fortè non est tanti res æstimāda, quāti is qui tenet, æstimat: sed quāti antè quàm occuparet, æstimabat.

2 *Hæc quoque dubitationem afferunt, vtrum patri omnia tribuenda sint officia, eiq; parendum sit in omnibus: an potius cùm quis est ægrotus, medico debeat credere: & potius imperator deligendus sit is, qui laude rei bellicæ valeat plurimum. Itemq; amicone potius, an bono viro subueniendum sit. Et vtrum ei qui de nobis bene meritus est, referenda sit gratia, an dandum beneficium socio, si vtrique non possit. Ac horum quidem omnium nō est facilis explicatio, præsertim cùm magnæ in iis dissimilitudines ac differentiæ versentur, & magnitudinis & exiguitatis, & honestatis & necessitatis. Hoc tamen nō est obscurum, non esse eidem officia tribuenda omnia. Potius enim referenda ferè quam ineunda à socio gratia est: sicuti mutuum etiam reddendum est potiùs cui debetur, quàm so-*

dali dandum beneficium. Quanquam hoc fortasse non semper sit seruandum. Vt si quis redemptus sit à prædonibus, vtrum eum qui se liberârit vicissim redimere debeat, qualiscunque sit: aut si captus ille quidem non sit, repetat autem aliquid, vtrum ei potius referenda sit gratia, an verò redimendus pater, quæritur. Nam suus cuique pater potius sit redimẽdus. Ergo, vt dixi, omnino debitum officium reddendum est. Quòd si dandi ratio honesti, necessitatisq́ ratione vincatur, est ad hæc ipsa declinandum. Incidunt enim huiusmodi tempora, cum beneficium quo prouocati sumus, reddẽdum non est: Vt si quis sciens in bonum virũ beneficium contulerit, & in hunc quem improbum esse existimet, extabit remuneratio. Neque enim semper ei commodandum est vicissim, qui commodârit. Nam & hic suam ob causam bono viro commodauit, & ille nihil emolumenti se ab improbo sperauit esse capturum. Ergo siue ita est re vera, non est par dignitas: seu non est ita, sed putant, nunquam absurdum quicquam facere videbuntur. Vt ergo sæpe dixi, quæ de perturbationibus, actionibus, & officiis, habetur oratio, eisdem finibus & terminis continetur, quibus ea res, in quibus versantur. Atque illud quidem perspicuum est, non eadem omnibus officia tribuenda esse, nec patri quidem omnia, quemadmodum Ioui non fiunt sacra omnia. Quoniam autem alia parẽtibus, alia fratribus, alia propinquis, alia beneficis tribuẽda sunt: suum cuique ac proprium quodq́ deceat tribuendum est. Quod etiam facere videntur. Nã inuitant cognatos ad nuptias: quibus quoniam genus commune est, idcirco quæ genus attinent, sunt illis inter se officia communia. Ob eamq́ causam cognatos & propinquos venire putant oportere ad

spons

sponsalia. Sed necessaria præsidia vitæ parentibus maximè debentur, quibus rebus procreatores iuuare pulchrius est quàm seipsum. Atque etiam vt diis, sic suus honos tribuendus est parentibus, non omnis quidem parentibus (cùm nō idem patri debeatur, qui matri: neq; idem sapiēti, qui imperatori) sed patri is qui patrem, matri qui matrem deceat. Omnis etiam seni honos tribuendus est is, qui ætatem illam decet, assurgendo, decedendo de via, aliisq; generis eiusdem. Cum sodalibus & fratribus libertas, & rerum omnium communitas vigere debet. Cognatis etiam atque tribulibus, ciuibus, item reliquisq; omnibus semper enitendum est, vt suum cuique tribuatur: & quæ in quoque insunt, ea ex illa quæ nobis cum illis erit familiaritate, ex virtute & vsu erunt iudicanda. Ac in iis quidē quæ sunt eiusdem generis, facilius iudicium est: quæ autem sunt alterius, difficilius. Nō tamē ob eā quidem causam desistendum est, quinetiam quoad fieri poterit explicanda sunt omnia.

3 *De dimittēdis autem amicitiis hoc quæri solet, vtrum discedendum sit ab amicis qui non sunt constātes neque stabiles, ánne ab iis qui amicitias vtilitatibus & suauitate dirigunt. Cùm hæc quidē non assequuntur, nō est alienum dissoluere. Hæc enim amabant ipsa, quibus sublatis, illud consentaneum est, vt etiam amicitia tollatur. Licet etiam accusare, si quis vtilitatem & suauitatem quærens diligat, seq; in amicitia virtutem simulet secutum. Nam, vt initio dixi, multa amicorū dissidia fiunt, cū non æquè ac putârāt, sunt amici. Ac tū quidē, cū quispiā falsus est opinione, quòd alterū putaret ductū virtute se diligere, nec is quicquā tale faciat, se ipse accusare debet: sin autē ab illius simulatiōe falsus est, par est accusari eū qui fraude gerit:*

gerit: vel multò etiam magis quàm eos qui numos adulterãt, quo in re præstantiore calliditas consumitur. Sed si tanquam probum virum receperit aliquis, malus autem factus est, aut etiã videtur, etiámne diligẽdus sit, quæritur, an hoc fieri nullo pacto potest? Siquidem non sunt amore digna omnia, sed bona sola. Et improbus diligendus est nullus, neq; æquum sit. Non enim vel amare improbos quisquam debet, vel par esse ac similis malorũ. Atqui pares, vt dixi: cum paribus instituunt amicitiam. Sed vtrum repente præcidẽdæ sint amicitiæ. an non cum omnibus, sed cum iis quorum vitiis remedium nullum inueniri potest? Iis autem qui sanari possunt, eò magis quoddam adiumentum afferendum est ad mores quàm ad opes, quòd melius est & amicitia dignius. Quanquã alienum nihil qui discesserit facere videtur: quippe cum non huic aut certè tali foret amicus. Quoniam igitur ad meliorem mentem reuocari non potest, ab eius se remouet amicitia; sin hic permanet, ille autẽ melior est præstatq; virtute: vtrum eo amico vti debeat an fieri non possit, quæstio est. Hoc perspicuum est maximè in magna distantia, vt in iis amicitiis quæ ab ineũte ætate cõtractæ sunt. Etenim si ille in puerili animo & sententia permaneat, hic autem vir sit optimus: qui fieri potest, vt inter se diligant, cum nec moueantur iisdem rebus, nec offendantur? Neque enim hæc sunt inter eos mutua, sine quibus amici esse nullo modo possunt: quandoquidẽ vita victusq; communis non potest inter eos intercedere. Sed de his iam diximus. Vtrum vero nihilo erga eum alieniore animo esse debet: quàm si nunquam amicitia intercessisset: an prioris consuetudinis valere debet recordatio? Vt enim amicis potius gratificari putamus oportere quàm exteris: sic veteri amicitiæ

citiæ aliquid tribuendum est, nisi propter singularem quandam improbitatem facta sit distractio.

4 Ea autem, quæ amicitiam conciliant amicis inter ipsos, quibusq; amicitiæ fines & termini constituti sunt, ab iis profecta videntur, quæ sibi quenque conciliant atque commendant. Ponunt enim amicum eum, qui velit seruire, ac seruiat cõmodis amici, aut quæ videantur, illius causa: aut qui velit saluum & incolumẽ amicum, eúq; manere in vita ipsius causa. Quo sunt animo matres in liberos, iiq; amici qui propter aliquam offensionem, alter ab altero discesserunt. Alij amicum enim statuunt, qui vita victúq; communi cum amico coniunctus est, quiq; eadẽ studia sequatur: aut eũ, qui & rebus aduersis amici doleat, & gaudeat secundis. Quod idẽ in matribus contingit maximè: eorum etiam in aliquo amicitiam ponunt. Sed hæc quidem omnia virũ bonũ sibi conciliant: cæteros autem quia bonos alij alios existimant. Est enim & virtus & vir bonus mensura, vt dixi, rerum omniũ. Nam & sibi ipse constat, & iisdem rebus totus eius animus mouetur. Estq; is, qui se iis quæ verè bona sunt, quæq; videtur, velit affici, quæ eadem efficit. Est enim boni viri quod bonum sit gerere, atque suam ob causam: siquidem mentis gratia, quod quidem vnusquisq; videtur esse. Atq; etiã manere vult in vita, ac saluus esse: idq; facit ob id maximè, quia sit prudẽs. Bono enim viro esse, in vitaq; manere, bonum honestũq; est. Et se quisq; bonis vult affici. Quòd si alij fierent omnes atque sunt, nemo esset homo qui bona esse omnia in eo vellet, in quod versus esset. Est enim etiam in Deo bonum hoc tempore, sed quod idem ipse est quale id cunq; sit. Ac mens sua quisque est, vel maximè. Cumq; sit eiusmodi secum ipse vult viuere, idq; facit libenter. Vt enim

lætamur iis bonis quæ recordamur, sic iis erigimur quæ expectamus: habet enim hæc oblectationem. Atq; etiam eius mens abundat præceptorum copia. Et quoniam iisdem rebus semper mouetur, & offenditur, & non aliis aliàs, fit vt doleat, gaudeatq; rebus suis vnà secum maximé. Is enim est quẽ nullius omnino rei possit pœnitere. Ergo quia hæc omnia virum bonum sibi conciliant: & in amicum etiã, quemadmodum in eo est animatus (est enim amicus quidam, qui est tanquam alter idem) certè in eorũ videtur aliquo amicitia consistere, & in quibus eadem insunt studia, eædem voluntates, ij amici nominantur. Vtrum autem secũ cuique sit amicitia, nécne sit, omittamus hoc quidem tẽpore quærere. Eatenus autem amicitia videtur, quatenus eorum, quæ dixi, fuerint, aut duo aut etiam plura. Etiam amicitia excellẽs ei solet dici similis, quæ secum cuiq; est. Sed tamen constat, quæ dictâ sunt, adesse permultis etiam improbis. Num ergo eorum participes sunt, quia se ipsi oblectant, seq; bonos putant? Hæc enim omnia eorum insunt nemini: nec videntur quidem, qui admodum improbi & nefarij sunt, nec ferè vlli malorum. A se enim dissident ipsi, secumq; discordant: & alia volunt, alia sequuntur ritu impotentium. Quæ enim sibi ipsi bona esse statuerunt, iis ea anteponunt iucunda quæ noceant. Alij rursus propter timiditatem, & ignauiam ab iis rebus gerendis recedũt, quas ipsi sibi optimas esse decernũt. Qui verò multa & grauia scelera admiserunt improbitate victi, & se oderunt ipsi, & vitam fugiunt mortemq; sibi ipsi consciscunt. Improbi etiam alios quibuscum versentur requirunt, se fugiunt ipsi. Multa enim & grauia facinora recordantur, & alia eiusdem generis, cum soli sunt, expectant: cum sunt cum aliis, obliuione obruũt.

Et quoniam in iis nulla est causa cur diligantur, nulla est etiam in eis ratio diligendi sui. Nec igitur ipsi secum vnà lætari possunt, nec dolere. Eorum enim animus à se ipse dissidet, secumq; discordat, aliusq; agitatus pœna scelerum; se dolet à quibusdam rebus abstinuisse, aliàs gaudet: atque pars altera huc trahit, & illuc altera, vt solent partes dissoluti corporis. Qui si & dolere simul non possit & lætari, at paulò post certè & se molestè fert ex rebus aliquibus voluptatem cepisse; & sibi eas vellet non fuisse voluptati. Est enim vita malorum plena pœnitentiæ. Non igitur in se amicè animati sunt improbi, quòd in eis dignum nihil sit amicitia. Quòd si ita affectũ esse animo valde miserũ est, fugienda improbitas est animi magna contentione, dandaq; opera vt boni simus. Sic enim & in nos ipsi amico animo affecti, & aliis sumus amici futuri. Beneuolentia autem quanquam videtur, tamen non est idẽ quod amicitia. Nam beneuolentia etiam cum iis coniuncti sumus, quos ignoramus: eademq; occulta est, amicitia non est. Quod etiam suprà attigimus. Nec amor quidem est, præsertim cùm nec sit desiderij, nec cupiditatis particeps, quæ amorem consequuntur. Præterea consuetudine amor suscipitur, beneuolentia etiam citò, quod in certantibus contingit. Alij enim in alios beneuoli sunt, & in eos est eadem voluntas, cùm interim nullis officiis, nullisque actionibus coniungi queant. Nam & repente, vt dixi, beneuolentia coniunguntur, & leuiter diligunt. Atque etiam inde amicitiæ principium ductum videtur, vt amatoriarum leuitatum initium ab ea voluptate, quæ ex sensu oculorum aspectûque capitur. Etenim nemo quẽquam insanè amat, nisi antè forma capiatur. Et qui forma

capit

capitur, non continuò amore capitur; sed tum denique cum & absentis desiderio tenetur, & præsentem concupiscit. Sic inter nullos amicitia esse potest, nisi antè coniuncti sint beneuolentia. At qui beneuolentia coniuncti sunt cum quopiam, non ij continuò etiam diligunt. Eos enim duntaxat volũt bonis affici, in quos bene animati sunt: nec vllis officiis coniungi vellent, nec vllam propter eos suscipere molestiam. Quocirca eam commutato nomine fontem amicitiæ licet dicere, quam tempore confirmatam, cum auxit consuetudo, tũ amicitia nascitur, nõ quæ vtilitatis aut suauitatis causa fingitur: quandoquidem eorum causa nemo cũ alio beneuolentia coniungitur. Nam qui beneficia accipit, si eum qui contulit beneuolentia complectatur, is officio fungatur. At verò qui beneficia ponere vult apud quẽpiam, spe præsidij & auxilij adductus, non illi beneuolus, sed sibi potius videtur: sicuti nec is amicus habẽdus, qui vtilitatis causa colit & obseruat quempiam. Omnino autẽ virtus & probitas beneuolentiam contrahit, si qua significatio honestatis, fortitudinis, aut alicuius eiusdẽ generis eluceat. Quod etiam in certantibus fieri solere diximus.

6 Atque etiam concordia ad amicitiã pertinere videtur. Itaque nõ est idem, quod consensus, quandoquidem in iis etiam, quorũ alter alteri ignotus sit, hic inesse potest. Nec concordes aiũt eos, qui de quauis re idẽ sentiũt, vt eos qui de rebus cælestibus: quippe cùm idẽ, & vnum de iis rebus sentire non pertineat ad amicitiam. Sed ciuitates in concordia esse tum dicũtur, cum de cõmodis & vtilitatibus vnum idemq; sentiũt, & decernũt, quodq; publicè placuerit, exequuntur. Ergo in gerendis rebus iis, quæ graues ac magnæ sunt, quæq; adesse possunt, vel vtrisq; vel omnibus, concordia consistit

sistit. Veluti ciuitates concordes sunt, cum placet omnibus magistratus deligendos esse, aut ineundã cum Lacedamoniis societatem: aut Pittacum imperatorem esse si etiam ipse velit. At verò cum seipsum vterque, vt est in Phœnissis, voluerit deligi, tum seditio nascitur. Non enim vnum idemq́ intelligere duos, quale id cũque sit, concordare est, sed idem in eodem. Vt cum populus & optimates optimos volũt praesse Reip. sic enim omnes, quod volunt consequuntur. Ciuiumq́ inter ipsos amicitia, concordia videtur, vt etiam celebratur. Est enim in cõmodis & vtilitatibus, iisq́ omnibus quæ ad vitæ vsum pertinẽt: qualis bonis inter bonos cõcordia est. Ii enim iisdẽ de rebus vnũ idemq́ & ipsi secũ, & cũ aliis concordant: præsertim, cùm eorũ stent sentẽtiæ & volũtates non more Euripi refluant. Recta etiam & vtilia sibi proponunt, quorum cõmuniter cupiditate ducuntur. At verò improbi nisi ad breue & exiguum tempus concordes esse non possunt: sicuti etiam amici esse solent, cum in emolumentis sua augendi cupiditate inflammati sint: iis autem in rebus quæ laborẽ sumptusq́ desiderant, ab officio deficiant. Quæ quoniam sibi quisque exoptat, proximum quenque obseruat & arcet: & facilè perit, quod erat commune, cùm nemo tueatur. Ex quo nascuntur seditiones, dũ alteris alteri necessitatem

7 *afferunt, ipsi fungi officio nolunt. Benefici autem vehementius eos diligere videntur, in quos beneficia contulerunt, quam ii qui acceperũt, eos qui dederũt. Quæ nobis contra opinionem incidit quæstio. Ac compluribus hoc ita videtur, proptereà quòd illi debent, his debetur. Vt igitur in commodato periisse expetunt debitores, eos quorum æs contraxerunt, salus autem debitorum curæ est creditoribus: sic ii, qui bene meriti sunt, eos*

saluos volunt in quos liberales fuerunt, quòd gratiam beneficiúq; sint accepturi: illis cura non est remuneratio. Et Epicharmus quidem fortè hoc dicat, ad improbitatem eorum spectare orationem. At verò illud humanum esse videtur. Sunt enim pleriq; immemores beneficij, propensioresq; sunt ad accipiendum quàm ad bene merẽdum. Sed causa à natura potius profecta videtur, quæ nihil simile habeat ei rei, quæ adfertur de creditore. Non enim in illis amor inest, sed volunt saluos illos, vt suum recipiant. At ij qui bene meriti sunt, eos diligunt & charos habent, apud quos beneficia collocarunt, etiam si in præsens nihil ex iis emolumẽti percipiant, nec sint percepturi in posterum. Quod etiã in artificibus contingit. Omnibus enim sua cuique chariora sunt opera, quam suis quisq; operibus, si sint animata. Sed nescio quo pacto hoc in poëtis magis cernitur, quos sua opera præter modum delectant, ea vt liberorum loco diligant. Huic est similis causa beneficiorum. Nam qui beneficium accepit, opus eorum est, quod eis charius est, quàm operi procreator & autor. Huius autem causa est, quòd cùm nobis esse optabile sit & charum, simusq; re ipsa (nam viuẽdo & agendo) fit vt qui fecit, opus sit re ipsa quodam modo. Ergo opus diligit, quia esse diligit. Atque hoc à natura ductũ est. Quod enim esse potest, id, opus re ipsa indicat. Atque etiam ei qui beneficiũ contulit, pulchrũ honestumq; est id, quod congruenter egit, vt id etiam in quo ipsum inest, delectet. At ei qui beneficiũ accepit, nihil est rei præclaræ in eo qui dedit, præter fructum & emolumentum, quod insuauius est, minusq; amabile. Habet autẽ eius quod præsens est actio, & rei futuræ expectatio, & præteritorum recordatio, oblectationem. Sed tamen eo quod

præs

præsens tanquam in manu datur, nihil iucundius est, nihil amabilius. Ac ei quidem qui bene meritus est sui operis permanet stabilis certaq; possessio. Est enim id firmum, cōstans, stabileq; quod honestum est. Qui verò accepit, ei vtilitas perit tota, & decidit. Et honestarū rerum recordatio iucundissima est vtilitatum non ferè, aut minus certè. Contraq; est in expectatione. Amor etiam actioni similis est, amari perpessioni. Qui autem in actione sunt occupati, eos necesse est diligere, eaque sequi omnia, quæ ad amorem pertinent. Iam verò ea sunt chariora omnibus quæ labore parta sunt: vt etiam pecunia iis chariores sunt qui quæsierunt, quàm qui acceperunt. Atque accipere beneficium, nullius negotij est: dare, arduum ac difficile. Ob eamq; causam liberi chariores sunt matribus, quòd partus difficilior sit, maiorisq; laboris indigeat, & quòd suos esse sciant certius. Quod idem beneficis proprium videtur. Sed

8 vtrum se quisque maximè diligere debet, an alium aliquem, quæstio est. Culpantur enim qui se maximè diligunt, eosq; sui diligentes probri loco appellant. Ac mali quidem videntur quæ faciūt suam ob causam facere omnia, atque eò magis quò sunt sceleratiores: idq; illis vitio datur, quòd sibi tantum consulant. Boni autem ob honestatem, eoq; magis ob honestatem, & amici causa id faciunt quò meliores sunt, vt suas res, rationesq; prætermittant. A qua oratione facta dissentiunt, nec sine causa. Aiunt enim diligendū eum maximè, qui sit maximè amicus. Amicus autem maximus is est, qui velit bonis affici quàm maximis eum quem diligat, illius causa, etiasi ad se ex his nihil redeat. Hæc verò sibi quēque conciliant, cæteraq; omnia insunt quibus amicus definitur. Docuimus enim principiū ductum à se dili-

gendi sui ad alios peruenire, Atque etiam eodem perti nent prouerbia, Vnus animus. Amicorum omnia communia; Amicitia, æqualitas; Tibia genu propius: Quæ omnia in quoque inesse, ad seq; redire reperiuntur. Sibi enim quisque charus est maximè. Se ergo quisq; maximè diligere debet. Iure autem hoc venit in dubiũ, vtris tãdem rationibus assentiendũ sit, cùm præsertim vtraq; sint probabiles. Constituendi ergo sunt in eiusmodi rationibus fines & quasi termini veritatis. Quòd si quem vtraq; rationes sibi charum constituant, intelligamus; citò planum fiet. Qui ergo hoc ipsum vitio vertunt, diligẽtes suĩ appellant eos, qui plus pecuniarum, honorum & corporis voluptatẽ sibi vendicãt. Nã plerique hæc ita expetunt, iisq; studẽt, quasi in eis sit summum bonum: Itaque de iis digladiari solent. Qui ergo de istis rebus plus sibi tribui volunt, ij cupiditatibus, animi perturbationibus, eiq; parti quæ est expers rationis, omnino obsequuntur, cuius generis magna copia est. Itaque appellatio ipsa ducta est a multitudine, quæ ipsa vitiosa & deprauata est. Iure igitur vt probrũ obiicitur iis, qui ita se ipsi diligunt. Nec dubiũ est, quin eos qui hæc talia sibi proponunt, plerique sui diligentes soliti sint dicere. Si quis enim vnus ex omnibus maximam operam eò conferat, vt iustè & modestè facta sequatur, aut quæuis alia, quæ virtutibus congruant, isq; omnino sibi semper honestatem vendicârit, hunc nemo sui diligentẽ dixerit: hũc nemo reprehendat. Atqui hic potius vir sibi charus esse videatur. Nam & pulcherrima queq;, ac optima sibi assumit, & parti ei sui, in qua inest principatus, obsequitur, paretq; in omnibus. Vt autem ciuitas omnis q; alius couentus, sic homo id esse maximè videtur, quod principatum obtinet: sibi

ergo

ergo charus est maximè, qui hoc ipsum diligit, ab eoq́; init gratiam. Atque etiam ex eo continens & impotens nominatur, quòd mentem vincat & teneat, vel non teneat: quoniam in ea omnis nostra vis sita sit, ipsiq́; ea sponte nostra videamur gessisse maximè quæ ratione duce gessimus. Ac illud quidē minimè dubiū est, suam quenque nostrum mentem esse maximè, eamq́; à bono viro maximè diligi. Quapropter idem sibi charus est maximè, alio genere charitatis, quàm quod vitio datur, à quo tantum abest & distat, quantum vita rationi consentanea ei præstat, quæ perturbationi congruit, quantumq́; interest inter honesti appetitionem, eiusq́; rei quæ vtilis esse videatur. Ergo ij omnes, qui singulari quadam tenentur præclararum actionum & officiorum cupiditate, in cōmēdatione omnium laudeq́; versantur. Quòd si omnes ad virtutē honestásq́; actiones quasi certatim contenderent, & publicè omnes decus, & priuatim singuli summum bonum adipiscerentur, siquidem virtus ex eo genere est. Ita sibi charus esse bonus debet. Nam & sibi præclaris actionibus proderit, & cæteros iuuabit. At nō debet improbus: siquidem & sibi nocebit & proximis, præsertim cùm prauis cupiditatibus obsequatur. Ac in deprauatis quidē quæ agūt ipsi, ab iis dissentiūt quæ facere debent. Boni autē viri quæ debent, eadem efficiunt. Nam & mens quod optimum est eligit, & vir bonus menti obtemperat. Nam quod aiunt, multa virum bonum, & amicorum causa, & patriæ gerere solitum, & si opus erit, mortem etiam oppetere: id verum est. Pecunias enim & honorem, & omnino cætera bona, de quibus homines inter se digladiari solent, contemnet ac pro nihilo putabit, dum sibi honestatem ac decus retineat. Breui enim tēpore sum-

mam malit, quàm longo leuem percipere voluptatem: & vnum annum bene ac præclarè actũ, multis quoque modo actis potiorẽ ducet: vnumq́; officium præclarum & magnũ, multis & paruis anteponet. Quod iis profectò accidit, qui pro amicis & pro patria mortem non dubitant oppetere: qui iidem sibi quidem magnum decus assumunt, & diuitias pro nihilo ducunt, quò maiores opes amici consequantur. Nam cum diuitias & opes amici consequuntur, tum ipse decus & honestatem. Ita sibi maiora bona retinet ac vendicat. Eadem honorum & imperiorum ratio est. Hæc enim amico omnia relinquet, ex quo decus sibi laudemq́; cõparabit. Rectè igitur bonus videtur is, qui rebus omnibus antefert honestatẽ. Atque etiam fieri potest, vt amico rerũ actione concessa, pulchrius sit, eum amico gerendæ rei causam extitisse, quàm si ipse gereret. Quare hoc iam perspicuum est, bonum virum honestatis plus sibi ex iis rebus omnibus quæ ad laudem valent, assumere solere. Atque hoc quidem modo quo diximus, decet diligentẽ esse sui: quomodo solent pleriq;, non decet.

9 *Hoc etiam de beato quæri solet, vtrum amicis, nécne ei sit opus? Beatos enim eosq́; omnes qui se ipsi contenti sunt amicorum præsidia negant requirere. Nam omnibus eos copiis & opibus abundare: cum igitur se ipsi contẽti sint, nullo egere. Amicũ porrò cùm quasi alter idẽ sit, quod quisq; minus per se possit, id suppeditare. Ex quo illud:*

Opus quid est amicis, si Deus fauet?

Sed absurdũ sit cũ bona omnia beatis attribuamus & concedamus, amicos nõ cõcedere, quibus nihil in bonis externis maius, nihil melius inueniri potest. Quòd si amici est beneficia dare potius quam accipere: & si est boni viri ac virtutis, benignè facere: pulchrius autem &

præstãtius amicis quàm alienis subuenire: certè bonus vir quibus det beneficia, requirat necesse est. Quocirca quæri solet, vtrũ rebus aduersis magis, quàm secũdis desiderentur amici: quòd calamitosi qui opem ferant, & qui beati putãtur, de quibus bene mereantur, requirãt. Atq; etiam illud fortassis alienum sit, beatũ constituere solitariũ, præsertim cùm nemo velit in summa solitudine omnibus opibus circunfluere & copiis. Est enim homo ad ciuilem cõgregationẽ, coniunctionemq; vitæ natus. Hoc igitur beato adest, qui omnibus, quæ vi sua & natura bona sunt, sit praditus & ornatus. Atqui hoc quidem perspicuum est, cùm amicis & bonis melius esse, quàm cum alienis & quibuslibet viuere. Est igitur amicis opus beato. Quæ est igitur superiorum sententia, quoq; modo vera est? An id volunt, plerosq; amicos eos potissimum putare, ex quibus sperant se fructum esse capturos? Cuius quidem generis nullum requiret beatus: quippe qui omnibus sit copiis præditus, neque eorum quenquam, qui delectationis suauitatisq; causa parantur, nisi paulum admodum. Quoniam enim vita ei suauis est & iucunda, nihil voluptatis ascititiæ indiget. Nec si amicos eiusmodi non desiderat, continuò videtur nullos requirere õnino. Quod fortasse non ita est. Initio enim dixi beatitudinem in actione quadam consistere, & perspicuum est actionem gigni, non adesse, nec permanere ritu possessionis. Quòd si beatitas omnis in vita & actione consistit: boni autem viri per se, & propter se bona est, & iucunda actio, vt initio dictum est: suæ etiam quenque delectant: & cernere proximũ quenque magis quàm nosmetipsos possumus, illorumq; res & actiones, quàm nostras: bonorum quoque qui amici sunt actiones bonos viros delectant; præsertim cùm

iis vterque bonis præditus sit, quæ sua vi, & suapte natura bona sunt: efficitur vt beati amicos eius generis desiderent necessario. Siquidem intueri vult actiones & facta præclara & sua, quo ex genere sunt illa amici, qui sit vir bonus. Huc accedit quod beatum iucũdè viuere putant oportere. Itaq; in solitudine agenti, molestiarũ ac curarum vita plenissima est. Nec enim facile est eum qui degat in solitudine, continuè in rerum actione versari, cum aliis & apud alios multò facilius. Futura est igitur ita denique actio diuturnior, si iucũditas per se accesserit, quod inesse debet in beato. Nam vir bonus, quia bonus est, honestis delectatur actionibus, turpibus offenditur: sicuti musicorum aures suauibus sonis permulcentur, offenduntúrq; contrariis. Atque etiã ex vita victúq; communi, inter bonos exercitatio quædam virtutis comparatur: vt etiam Theognidi placet:

Te bonus instituet bene, virtutemque docebit:
Improbus inficiet téque, animúmque tuum

Qui autem longius à natura causam petunt, iis videtur vir bonus suapte natura expetendus amicus esse viro bono. Quod enim per se suáq; vi bonum sit, id docui bono viro sua sponte bono esse ac voluptati. Atqui vita in amantibus vi sensus definitur, in hominibus vi sensus & intelligentiæ. Sed vim actio rerum consequitur, & laus omnis in actione consistit. Viuere autem est propriè sentire & intelligere. Vita etiam in iis est, quæ per se bona sunt & iucunda. Nam definita certáq; est: & quod certum est ad naturam boni viri accommodatum est. Quod autem suapte natura bonum est, omnè bono viro bonum videtur. Quocirca suus status quenq; delectat. Sed non est designanda vita vitiosa & deprauata, neque doloribus cruciatibúsve cõfecta. Vt enim

quæ insunt in tali vita, sic ipsa incerta infinitaq; est. Quod ex iis quæ mox de dolore dicam, erit multo euidentius. Quòd si ipsa vita bonũ est, & iucundũ. Quod hinc perspici potest, quia cùm omnes, tum vel maximè boni beatiq; eius cupiditate ducũtur. Nam & his expetẽda est maximè, & illorum vita beatissima est. Qui autem cernit se cernere sensu percipit: & qui audit, se audire: & qui ambulat, se ambulare: itemq; in cæteris quiddam est quod nos agere percipit. Atqui sensu percipere possumus, nos sensu percipere, & nos intelligere ipsi intelligimus. Sensu porrò & animo aliquid percipimus, quia sumus & in vita manemus. Nam esse, & in vita manere est, vel sensu vel animo percipere. Atqui sentire se quenque viuere in in iis est, quæ sunt suapte natura iucunda. Nam quia per se vita est in bonis, idcirco sensus alicuius rei bonæ quæ adsit, suauis est. Vita autem cùm omnibus expetenda est, tum maximè bonis, quòd eis status suus cuique bono sit & voluptati. Sensus enim eius quod suapte natura bonum sit, eos delectat. Quemadmodũ porrò in se bonus vir, sic in amicum animatus est. Est enim amicus alter idem. Vt igitur suus cuique, sic aut pari propemodum ratione, status amici expetẽdus est. Status autem ob eam causam expetendus est, vt diximus, quia ipsum sibi bono esse, sensu perciperet, qui quidem sensus per se ipse delectat. Amicũ ergo necesse est beatus in vita manere sentiat. Quod vita victusq; communis, sermonumq; ac consiliorum omnium efficiet societas & communio. In ea enim vita degendæ ratione hominum inter ipsos consistit coniunctio, non vt pecudum, in pastu ciboq; communi. Quòd si status propterea beato per se expetendus est, quòd sit sua sponte in bonis, & iucundis, in

eodem autē genere est amici status: fit vt amicus in iis numeretur, quæ beatus expetere debeat. Quod autē ei optabile est, ei adesse debet, aut hac parte aliquid ei deerit: Amicos igitur veros & viros bonos, qui futurus
10 *est beatus, desiderabit. Sed vtrum parandi sint amici multi, an quemadmodum in hospitalitate rectè dici videtur, nec multitudine opus esse hospitum, neq; omnino desertū esse oportere: sic deceat in amicitia nec desertum esse ab amicis, neque multitudinem amicorum sibi adiūgere, magna quæstio est. Ac in iis quidem qui vtilitatis causa fingunt amicitias, quod dictum est, valere videatur. Difficile est enim multis referre gratiā; neque ad id agendū satis sit vita. Quocirca multis eorū quibus res familiaris abūdè suppetit, superuacanei sint, afferantq; impedimentū ad vitam honestè degendam. Nō est igitur his opus. Iis etiam qui delectationis iucunditatisq; causa amicitiæ præsidia quærunt, pauci satis sunt amici, sicuti in delicijs condimētum. At verò boni viri vtrum multos parare debent? an vt ciuitatis, sic multitudinis amicorum certi sunt termini cōstituti? Neque enim ex decem hominibus constat ciuitas, nec si in centum millia excreuerit, etiamnum ciuitas est: numerusq; fortè nullus est nisi is omnis, qui inter certos aliquos & definitos constitutus est. Ergo amicorum quoque multitudinis certi sunt quidam fines & termini constituti. Et fortasse multi adiūgendi sunt, quibuscum liceat vitā traducere, cum præsertim id amicitia dignissimū esse videatur. Nec verò dubium est fieri non posse, vt quisquam vitæ societate cum multis coniunctus, iis se quasi det & impertiat. Iam verò illi etiam coniuncti sint amicitia oportet: siquidem omnes vita victuq; communi consociati sint: quod certè in multis*

diffic

difficile est. Difficile est etiã & rebus prosperis gaudere, & aduersas grauiter ferre cũ multis, vt se ad eorum sensum, nutumq; accõmodet. Concurrere enim hæc possunt, vt cũ vno voluptate afficiatur, doleatq; cũ altero. Quapropter fortè hic præclarè agetur, si minus, quàm plurimos amicos quæramus: at tantũ certè numerum, quãtus sat sit ad vitæ degendæ institutum. Neq; enim fieri videtur posse, vt cuiquã valde chari sint plurimi. Itaq; ne in amoribus quidem fieri potest. Est enim certè excellẽs quædã ac præstans amicitia, quæ vnus cum vno cõiũgitur. Quare si qua sit magna & excellẽs amicitia, ea vni cũ paucis intercedat necesse est. Quod etiã rerũ vsu, ac re ipsa experimur. Neq; enim inter multos ea iũgitur quæ sodalibus inter ipsos est amicitia. Et quæ celebrantur efferunturq; laudibus, hæ inter duos iũctæ feruntur. Qui autẽ multitudinem, & quasi cohortem sibi adiungunt amicorum, quiq; se familiariter gerunt cum omnibus, ij amici nemini videntur, nisi more vrbanorũ, quos vocãt comes & affabiles. Quapropter vni qui etiã ad voluptatẽ non loquatur, sed qui verè sit bonus, amicitia cũ multis, ciuiũ propria illa quidẽ, intercedere potest: amicitia autem quæ virtute & amicorum causa contrahitur, non potest. Ac rectè agitur, si
11 *paucos huius generis reperiamus. Atq; etiã hoc quæri solet, vtrum rebus secũdis magis, quàm aduersis amici desiderantur? Nam in vtroq; genere quæruntur. Nã & ij qui aduersa vtuntur fortuna, opis indigent: & qui secunda, conuictores requirunt, & quibus benignè faciat, præsertim cùm aliis beneficia conferre velint. Ac rebus quidem aduersis magis sunt illi quidẽ necessarij, quòd in hoc genere ij quærantur ex quibus fructus percipi possit: sed nescio quomodo maius ornamentum re-*

bus

bus secundis adferunt. Itaq; viros bonos sibi adiungũt quòd & iis subuenire, & cum iis viuere optabilius ac melius esse videatur. Suauis est enim amicorũ præsentia & in prosperis rebus & aduersis. Mœrores enim & luctus facit amicitia communicans partiesq; leuiores: Quocirca quæret aliquis, vtrum doloris quasi oneris so cij sint amici, an non ita sit, sed eorũ iucunda præsẽtia, sensusq; communis doloris minorẽ faciat ægritudinem? Ac vtrũ ob eas causas: an ob rẽ aliquã aliã leuetur eorũ dolor, omittamus exponere: quanquam id, quod dixi, euenire videmus: & eorũ quodam modo mixta præsentia videtur. Nam amici aspectus suauis est ei præsertim qui in miseriis luctuq; versetur: in eoq; ad depellendum dolorẽ præsidiũ quoddam est paratum & constitutum. Amicus enim si verus sit ac ingenuus, aspectu & sermone consolari potest. Nã cum eius habeat mores cognitos, quibus ille rebus moueatur, & offendatur, intelligit. Sentire autem alterum suis incõmodis dolere, molestum est. Nam quoniã omnes cauẽt ne amicis causas doloris afferant, idcirco qui sunt magno fortiq; animo præditi natura, dant operam, ne amici in partem veniant doloris sui. Quòd si minus superet indolentia: eum qui eos premit, non ferunt dolorem: omninoq; eos respuunt, qui socios se præbent lamentorum: propterea quòd ne ipsi quidem propensi sunt ad lamentandum. At verò mulierculæ similesq; muliercularum viri eorum potissimum consuetudine delectantur, qui socios se præbent gemitus & lacrymarum, eosq; loco amicorum diligunt. Sed par est scilicet in omni re optimum quenque imitari: In rebus autem asperis, iucundam vitæ consuetudinem & coniunctionem, sensumq; suauem efficit amicorum præsentia, quòd iisdem rebus

bon

bonisq; moueātur. Itaq; vltro ad societatem & cōmunionem prosperitatum amici vocandi sunt: (nam pulchrum est benignitate vti diligenter) ad societatem verò calamitatum, timidè, ac raro. Neq; enim rectum est cū amicis aut bene meritis mala communicare. Ex quo factum est prouerbium, Satis ego superq; miser sum. Tum autem vocandi sunt maximè, cum leui suscepta molestia, ei profuturi sunt plurimum. Contraq; decet ad eos qui calamitate premūtur, inuocatum & studiosè venire: siquidem amici est liberalitate vti in eos præsertim qui opis indigeant, & in eos qui non rogarint: nā in vtroq; præclarius est & suauius. At verò in prosperitate, si actionis officiiq; causa postulet, studiosè ad amicum eundum est: eius enim rei gratia, amici desiderantur; sin vt beneficium accipias, sensim id timideq; faciendum. Non enim decorum est, vltro paratum esse ad petendū præsidium. Sed tamen vitanda est forsitā in denegando quod petitur, offensionis quæ nōnūquā suscipitur opinio. Ergo hoc quidem perspicuum est, in omni fortuna amicorum esse expetendam præsentiam.

12 Sed vtrum vt amantibus ipse aspectus charissimus est, iiq; sensum hunc præ cæteris expetunt, quòd in eo potissimum amor versetur, indeq; nascatur: sic amici vitam victumq; communem maximè exoptant? Nam & communitas quædam amicitia est, & quo modo in se quisq; affectus est, eodē erga amicū. Atqui suus cuiq; in semetipso optabilis est sensus, & in amico igitur. Eius autem sensus munus & officium in vita victuq; communi cernitur. Iure igitur vitæ societatem expetunt. Itaq; in quo quisq; statum vitæq; ponit, & quò omnes vitæ degendæ rationem referunt, in eo vitam volunt cū amicis consumere. Quocirca alij vnà conuiuantur, alij vnà

se talorum ludo oblectant, nonnulli se exercent vnà & venando & philosophando: in iisq; totos dies & aetates coterũt, quae quisq; invita maximè adamauit. Quoniam enim viuere cum amicis vnà cupiunt, ea faciunt ipsi: earumq; rerum coniunguntur communione, in quibus consuetudinem vitae putant cõsistere. Quapropter improborum mala amicitia est, qui cùm instabiles inconstantesq; sint, rerum malarum ineunt societatem: similesq; ac pares inter se facilè corrumpuntur. At verò bonorũ praeclara & honesta est amicitia, quae vsu & consuetudine confirmatur. Videntur etiam progressum in virtute facere, officiis emendationeq; cõmuni. Alter enim ab altero ea exprimit, quibus percipiat voluptatẽ Hinc illud,

Te bonus instituet bene, virtutemque docebit.

Ac de amicitia quidem hactenus.

ETHICORVM ARISTOTELIS

LIBER X.

1 SEQVITVR *forsitan vt deinceps de voluptate disseramus, quandoquidem generi nostro videtur esse coniunctissima. Itaq; pueros instituunt voluptate ac dolore gubernare. In eo etiam vis maxima est ad virtutem quae more perficitur, si quis bonis rebus laetetur, doleatq; contrariis. Patent enim haec omnia per omnẽ vitã latissimè, in iisq; magnũ momentum, visq; magna est ad virtutem & beatam vitam. Nam & quae iucũda sunt, omnes sequuntur, & quae molesta declinant. Quae cum ita sint, minimè praetermittẽda fuit haec disputa-*

tio

tio, præsertim cùm magnam hæc ipsa adferant dubitationem. Alij enim, vt Eudoxus, voluptatem summum bonum esse dicunt, alij contrà valde magnum malum. Ac illi quidem adducti sunt ferè vt ita esse credant: hi ita denique melius actum iri putant cum vita nostra, si voluptas, quanquam non sit, tamen ponatur in malis: procliuem enim ad eam multitudinem esse, ac seruire voluptatibus. Itaq; flectendam & deducendam esse in partem contrariam. Sic enim perueniri posse ad mediocritatem. Sed hæc nulla ex parte vera est, aut honesta oratio. Omnis enim quæ de perturbationibus & officiis instituitur oratio, minorem quàm facta ipsa, habet autoritatem. Cùm igitur dicta ab iis discrepant, quæ perspicua sunt sensibus, tum ea contempta, veritatem ipsam tollunt funditus. Nam qui voluptatē quam visus est sequi aliquando, vituperat, is ad eam procliuis videtur, quasi non sit ex eo genere qualibet. Non enim multitudinis est discernere. Quapropter oratio si vera sit, non solùm ad intelligendum, verùm etiam ad viuendum valet plurimum. Si enim factis & vitæ congruat, tum comprobatur. Quocirca eos hortatur, à quibus intelligitur, vt vitā ad se quasi ad normam dirigāt. Sed hæc hactenus. Nunc ea explicanda sunt quæ de vo-

2 *luptate feruntur. Eudoxus quidem voluptatem summum bonum dicebat, quòd omnia videret eam sequi, & quæ ratione vterentur, & quæ essent expertia. In omni autem re quod bonum sit, expetendum esse, & optimum quicque maximè. Atqui eam summum bonum esse omnibus, ex eo declarari, quòd ad eam toto impetu omnia ferrentur. Omnes enim quod sibi bono sit reperire, sicuti cibum. Quod igitur omnibus bono sit, quódque omnia expetant, id summum bonum*

bonum esse. Quæ eius rationes comprobatæ sunt non sua vi solùm & pōdere, sed multò magis bonitate ipsius & moribus. Præstāti enim ac singulari habitu est temperantia. Non igitur tanquā voluptatis amās hac uti oratione videbatur, sed quòd res re vera ita se haberet. Nec verò ex cōtrario minus perspicuum fieri putabat. Dolorem enim omnibus per se esse fugiendū, itemq; expetendum contrarium. Maximè autem expetendum esse, quod rei nullius causa sequeremur: qualis esset voluptas, consensu omnium. Neminē enim quærere, quāobrem voluptate afficiatur, quòd per se & propter se sit voluptas expetenda. Quæ si ad bonum quoduis adderetur, veluti ad ea quæ iusta & modesta sunt, magis id expetendum efficere. Accessionem igitur bonorum ipsius accessione fieri. Atqui hæc quidem oratio nō magis voluptatem in bonis videtur, quàm aliud ponere. Quicquid enim bonum est, omne coniunctum cum alio, optabilius est & magis expetendum, quàm ipsum separatim. Qua etiam ratione Plato refellit esse summū bonum voluptatē. Magis enim expetendam cū prudentia coniunctam iucundam vitam, quàm ipsam separatim. Quòd si pluris sit coniuncta voluptas, non esse in ea summum bonum. Nullius enim accessione boni, summum bonum magis expetendū effici posse. Illud autem perspicuum est, non posse quicquam aliud summum bonum esse, quod coniunctum cum alio quod per se bonum sit, magis expetendū & optabilius existat. Quid ergo est eiusmodi cuius nos etiā participes sumus? nam tale quæritur. Qui nanque negant summum bonum id quod omnes appetunt, ij nihil dicunt. Quod enim videtur omnibus, id esse dicimus. Nec qui tollet hanc fidem & opinionem, aliquid verisimilius probabiliúsve dicat.

cat. Etenim si sola mentis expertia eam expeteret, aliqua esset eorũ oratio. Sin ea etiam, quæ prudẽtia vtuntur, quid est quod possint dicere? Atque etiã corruptis & deprauatis hominibus fortasse à natura quædã boni particula tributa est, præstantior & melior quàm sint ipsi per se, quæ bonus naturæ accommodatum expetit. Nec etiam videtur vera, quæ de cõtrario adfertur, oratio. Negant enim si dolor malum sit, continuò voluptatem esse bonum. Malum enim malo esse contrarium, & neutri vtrunque. Quæ cum dicunt, nihil illi quidẽ absurdum dicunt, sed ab iis tamen, quæ dicta sunt, dissentiunt. Si enim vtraque sint in malis, fugiẽda etiam esse oporteret: sin neutrum sit, aut alterum, eadem ratio est. Nunc constat homines voluptatem sequi vt bonum, & dolorem fugere vt malum. Ita inter se sunt contraria.

Nec si voluptas qualitas non est, idcirco in bonis non est: quippe cum nec virtutis actiones qualitates sint, nec beatitudo. Contendunt autem bonum certum esse & finitum, voluptatem infinitam & incertam, propterea quòd accessionem & decessionẽ admittat. Atqui si percipienda voluptate id iudicãt, idem valebit in iustitia cæterisq; virtutibus omnibus, quibus aiunt cõstare homines esse cuiusdam modi, id est, virtutibus esse præditos & magis, & minus. Alij enim aliis sunt & iustiores & fortiores. Et potest aliquis quæ iusta & modesta sunt & contentius facere, & remissius. Quòd si in voluptatibus nunquam causam adferant, cur sint aliæ im mixtæ & simplices, aliæ mixtæ & cõiunctæ: quid prohibet, vt valetudo quæ certa sit & finita, firmior est & infirmior, sic maiorem fieri & minorem voluptatem? Non enim, vel omniũ est eadem temperatio, vel aliqua certa semper in eodem, sed remissa ad tẽpus permanet:

P

differtq́; accessione & decessione à superiore: quod idem in voluptate potest contingere. Præterea cum summum bonum perfectum quiddam & absolutum ponunt, motiones autem & ortus inchoatos: voluptatem quidem motum & ortum ostendere conantur, quod mihi inscitè videntur dicere. Neque enim motus est voluptas, quandoquidem propria est omnis motionis velocitas & tarditas: etsi non per se, velut eius quæ mundo attributa est ad aliud. At neutrum horum voluptati accidit. Fieri enim potest, vt quemadmodum in ira, sic aliquis citò fit in voluptate: vt autē voluptatem capiat citò, non potest, ne cum alio quidem. At vt ingrediatur quis, & crescat, potest, & si qua sunt eiusdem generis. Fieri ergo potest vt celeriter tardéve ex dolore mutemur in voluptatem: vt autem citò conuenienter voluptati agamus, id est gaudeamus & afficiamur voluptate, non potest. Ortus porrò quo tandem pacto ea futura est? Non enim ex re qualibet quiduis oritur, sed occidunt in id omnia, vnde orta sunt: & cui rei causam ortus adfert voluptas, eidem est dolor interitus causa. Atque etiam dolorem dicunt indigentiam esse eius, quod naturæ accōmodatum est: voluptatem eius expletionem atque satietatē, quæ sunt perturbationes corporis. Si ergo voluptas expletio est eius, quod naturæ accommodatum fit: in quo fuerit expletio, id profectò percipiat voluptatem necesse est. Ita corpus capiet voluptatem. At non est ita. Nō est igitur expletio voluptas, sed cum adest satietas & expletio, tum quis voluptate afficitur: & cum secatur, dolet. Ac mihi quidem certè hæc manasse sententia videtur ex iis voluptatibus & doloribus, quæ ex cibo alimentoq́; capiuntur. Cum enim homines aliquid dolentes desiderant

rant, post eius satietate capiuntur; quanquam nõ omnibus id voluptatibus contingit. Vacant enim dolore mathematicæ voluptates, hæq; omnes quæ sensibus olfactuq; percipiuntur: atque etiam auditiones & aspectus, multæ præterea recordationes & expectationes dolore carent. Quæ quidem cuius tandem rei ortus sunt futuræ? præsertim cum nullius fuerint indigentiæ quam explere possint. Nam iis quidem hominibus qui obscœnas voluptates adferunt, respondendum est, non esse iucunda illa, ex quibus illæ capiantur. Non enim si hominibus malè animo affectis & constitutis iucunda ea sunt, idcirco putanda sunt iucunda esse omnino & absolutè, nisi fortè his talibus, sicuti ne ea quidem salubria sunt quæ ægris videtur, nec dulcia, nec amara: nec rursum alba ea sunt quæ alba lippis videntur. Aut certè hoc modo dicatur voluptates quasdam expetendas esse, at non eas quidem, quæ hæc consequuntur: vt sunt diuitiæ expetendæ, at non proditori: & valetudo est illa quidem expetenda, sed tamen non ei qui vescatur re qualibet. Aut specie voluptates differre. Aliæ enim ex honestis capiuntur, aliæ ex rebus obscœnis & turpibus. Nec quenquam delectare potest voluptas quæ ex rebus iustis capitur, nisi idem sit iustus: nec quæ ex musicis, nisi idem sit musicus. Eadem est ratio cæterarum. Atque etiam amicus, qui ab assentatore abest, distatq; plurimum facilè declarat non esse voluptatem bonum, aut eas certè specie differre. Ille enim boni honestiq; causa congressus & consuetudines sequitur, hic voluptatis: quorum illud laudi ducitur, hoc vitio datur, quod aliò eas referat consuetudines, eosq; congressus. Nemóque est qui iis velit voluptatibus perfluens, quibus pueri quàm maximè putant, in puerili men-

te degere omnem ætatem, neque ex obſcœnis & turpi-bus factis voluptatem capere, nullo vnquam impendẽte doloris metu. Multarum etiam rerum ſtudio trahamur, etiam ſi nullam voluptatem adferant, vt videndi, vt recordãdi, vt ſciendi, actionisq́ virtutum. Nec intereſt, vtrũ ex iis voluptas cõſequatur neceſſario: quippe cum ea ſequeremur, etſi nulla ex iis gigneretur voluptas. Ergo illud quidem perſpicuum eſt, nec bonum voluptatem eſſe, nec omnem expetendam: etiam illud, per ſe expetendas aliquas, quæ ſpecie inter ſe differant, aut iis rebus ex quibus oriantur. Ac de iis quidem, quæ

4 de voluptate & dolore diſputantur, hactenus. Quid autem qualiſue ſit, facilius, ſi paulò altius repetamus, intelligetur. Aſpectus enim perfectus eſt quouis tempore. Nihil enim deſiderat, quod factũ in poſterũ, ipſius genus poſſit abſoluere. Huic eſt ſimilis voluptas, quæ tota eſt & perfecta: nullo enim tempore quiſquam capere voluptatem poteſt, vt ſi maiore tempore gignatur, eius genus poſſit abſolui. Ita ne motus quidem eſt. Motus enim omnis in tempore cernitur, finemq́ aliquẽ & terminum ſpectat: veluti actio quæ in ædificando ſuſcipitur, tum perfecta abſolutaq́ eſt, cum id quò refertur, abſoluerit, aut certè in eo toto tempore. At in partibus temporis omnes inchoatæ ſunt: differũtq́ ſpecie à perfecta actione, & illæ etiã inter ſe. Lapidum enim compoſitio à columnæ erectione differt, & hæ ipſæ à templi perfectione. Ac templi quidem ædificium & ſtructura vndiq́ perfecta eſt, cum ei nihil deſit quod propoſitum fuerat: fundamenti autem, & laquearium inchoata, non perfecta, quippe cum vtraque partis ſit propria. Quapropter ſpecie inter ſe differunt, nec poteſt in vllo, niſi in toto tempore reperiri motus in ſuo

gen

genere perfectus. Similis est ratio ingressus & motionum cæterarum omnium. Etenim si translatio motus est quo hinc illuc itur, & huius genera sunt volatus, ingressus, saltatio, & alia eiusdem generis: nec solùm ita, sed in ipso etiam incessu. Terminus enim ex quo mouemur in alium, non est idem in stadio & in parte, neque in alia atque alia parte. Nec idem est huius & illius lineæ transitus. Nō enim solùm linea præteritur, sed etiā linea quæ in loco sita est. At in alio loco hæc atque illa præteritur. Ac de motu quidem aliis libris accuratè disputauimus, qui quidem non in omni perfectus tempore videtur, inchoatiq; sunt ac non perfecti multi, qui etiam specie inter se differant: siquidem termini, à quo motus incipit, & in quo desinit, speciem conficiunt. At verò voluptatis est in quolibet tempore perfectum genus. Ita perspicuum est, & inter se specie differre voluptates, & in iis esse, quæ vniuersa, totaq; sint atque perfecta. Quod etiam hinc perspici potest, quia nihil moueri nisi in tempore potest, at voluptate affici potest: quandoquidem quod in puncto est temporis, id totum est etiam atque vniuersum. Ex quibus hoc quoque perspicuum est, inscitè ab his in motu & ortu poni voluptatem. Neq; enim hæc ipsa sunt rerum omnium, sed earū duntaxat quæ partes sunt, nō etiā tota. Nec enim aspectus ortus est, nec puncti, nec vnius: nec quicquam eorū est motus aut ortus. Nec igitur voluptatis quidem quæ est res quædam tota & vniuersa. Cùm verò sensus omnis in eo munus suum exequitur, quod sub ipsum cadit: tum is qui bene affectus est, in eo probè munus officiumq; suum tuetur, quod omnium quæ sub sensum illū subiecta sunt, est præstantissimum: siquidē tale quiddā perfecta actio, perfectusq; vsus videtur maximè. Ac

vtrum sensum agere dicamus, an id ipsum in quo ipse sit, nihil interest. Atqui in omnibus actio est optima eius qui optimè ad id affectus est, quod est omniũ, quæ sensui subiecta sunt, nobilissimum: quæ eadem sit necesse est & absolutissima & suauissima. Est enim sua cuiusque sensus voluptas propria: itemq; mentis & contemplationis. Vt autem quæq; actio plurimum habet iucunditatis, ita est perfectissima. At ea demum perfectissima est, quæ ab eo proficiscitur qui bene affectus aptusq; est ad eam rem gerendam quæ omniũ optima est earũ, quæ proposita sunt sensui. Perficit autẽ actionem voluptas: nec verò ita voluptas perficit, vt res sensui subiecta, & sensus ipse, cum sunt integra: sicuti ne valetudo quidem & medicus eodem modo causa sunt cur valeamus. Illud autem perspicuum est, in omni sensu versari voluptatem, siquidem aspectus & auditiones iucundas esse dicimus. Ac illud quidẽ etiã perspicuum est, ita denique summam voluptatem futurã, si sensus sit integerrimus, & in re aliqua eius generis occupatus: eiusmodi etiam sit res sub sensum subiecta, & res sensu percipiens: siquidem adsit quod agat, quodq; patiatur. Sed actionẽ absoluit voluptas, non vt ingenitus quidã habitus, sed vt quidam finis accedens: veluti hominibus corroboratis iam confirmatisq; ætatibus, pulchritudo solet accedere. Quandiu porrò res subiecta sensui vel intelligentiæ talis manet, qualis debet, itemq; & quod iudicat, & quod contemplatur: tãdiu futura est voluptas in actione. Etenim si quod agit, quodq; patitur similia sint, eodemq; modo inter se affecta: eadem res solet existere natura. Et quoniam voluptate nemo continenter afficitur, aut laborem subit (humanæ enim res laborem sempiternum non possunt pati) idcirco ne voluptas quidẽ

manet vlla sempiterna, cùm præsertim actionem comitetur. Res autem quædam placent illæ quidem & delectant cum nouæ sunt: sed in posterum ob eam ipsa causam non item. Primùm enim inuitatur & allicitur animi cogitatio, & in res ipsas tota intenditur: vt aciem oculorum intendunt ij omnes qui res considerãt: deinde actio eiusmodi nõ consequitur, sed multò remissior. Ita voluptas quoq; omnis obscuratur. Omnes autẽ voluptatem appetere, hinc intelligi potest, quòd omnes vitæ cupiditate ducũtur. Atqui vita quædã actio est. In iisq; rebus, & his quisq; elaborat & versatur, quas maximè adamat: vt musicus auditu in cãtu: vt discẽdi cupidus, intelligentia in rerũ cognitione & cõtemplatione, itẽq; cæteri. At rerũ actiones vndiq; absolutas voluptas efficit, vitã etiam cuius cupiditate incẽsi sumus omnes. Ergo voluptatem quoq; expetũt, nec sine causa, quippe cũ vitam quã quisq; expetit, absoluat. Vtrũ autẽ vitã voluptatis causa expetamus, an ad vitã voluptatẽ referamus, nũc omittamus quærere. Copulata enim hæc inter se videtur, vt neutrũ ab altero nec diuelli possit, nec distrahi. Nam & voluptas esse sine actione nullo modo
5 *potest, & perficit omnem actionem voluptas. Ex quo perspici potest, voluptates differre specie. Quæ enim differentiũ sunt generũ, ab aliis atq; aliis perfici putamus. Differunt autẽ mentis voluptates ab iis quæ percipiuntur sensibus. Cõstat enim sic habere omnia & quæ natura, & quæ arte solent effici. Vt animalia, vt arbores, vt pictura, vt statua, vt domus, vt vas. Patet igitur eodem modo, actiones etiam quæ specie differunt, ab iis compleri quæ specie differant. Atqui quæ mente geruntur ab iis quæ sensibus, & hæ inter se diuersæ sunt: Et voluptates igitur quæ eas complent & absoluunt:*

Idq́ꝫ ex eo etiam intelligi poteſt, quòd vnaquæque voluptas cum ea cõiuncta eſt actione, quam cõpleat. Auget enim actionem ſua voluptas. Acrius enim & accuratius iudicant exquirũtq́ꝫ omnia ij, qui rem gerunt & tractant libẽter. Vt geometræ fiunt ij qui rebus geometriæ ſubiectis delectantur: ijq́ꝫ omnia melius intelligũt. Itemq́ꝫ & muſicæ & architecturæ ſtudioſi, & cæterarum artiũ ſinguli artifices ſuo quiſq́ꝫ operi acceſſionem reperit, eo delectatus. Adaugent igitur voluptates. At quæ rẽ augent, maioremq́ꝫ efficiunt, finitima ac propria videntur. Quæ autẽ iis rebus quæ ſpecie differunt, finitima ac propria ſunt, ea etiam ſpecie differũt. Iam verò hinc etiã facilius hoc ipſum intelligi poteſt, quòd quæ à diuerſis rebus ortæ ſunt voluptates, actiones impediũt. Qui enim tibiarũ cantu tenẽtur, nõ poſſunt verba quæ interim fiũt, aduertere, ſi tibicinẽ modulantẽ audiãt, cùm maiorem voluptatẽ ex numeris capiant, quàm ex præſenti actione. Voluptas igitur quam parit tibiarum numerus, eam labefactat actionem, quæ in oratione verſabatur. Quod idẽ in aliis contingit, cum ſimul in duas res intendimus. Quæ enim plus habet oblectationis, excludit alterã, eoq́ꝫ magis, quò maior voluptatis præſtantia eſt, vt nihil agamus in altera. Itaque cum vehementer nos res quælibet delectat, non admodum aliud agimus: & aliud agimus, cum non admodum alia res delectat. Quod iis vſuuenit, qui in theatro edunt bellaria: idq́ꝫ faciunt tum vel maximè, cum imperiti ignobilesq́ꝫ concertant. Quoniam autem voluptas propria & delectatio accuratas facit & diuturniores & meliores actiones: quæ autem alienæ ſunt, corrumpunt & labefactant: perſpicuum eſt inter eas intereſſe plurimum. Ferè enim idem faciunt alienæ voluptates, quod proprij dolores.

lores. Nam sua quãque actionem labefactat molestia. Vt si cui iniucundus molestusq́ est scribendi labor, alteri ratiocinandi: ille scribere, hic ratiocinari non solet, quòd molestiæ plena sit actio. Ergo in actionibus cõtrà cõtingit, ac in voluptatibus iis quæ propriæ sint & accõmodatæ, atque doloribus. Accommodatæ autẽ sunt & propriæ hæ quæ actionẽ per se consequuntur. Alienæ verò dictæ sunt, quæ simile quiddã faciũt doloris. Interimunt enim, etsi non eodem modo. Præterea cũ actiones aliæ bonæ sint, aliæ malæ, earumq́ nonnullæ expetendæ, quædã fugiẽdæ, aliæ indifferẽtes, eadẽ est ratio voluptatum. Sua enim cuiusq́ actionis voluptas est & delectatio. Quæ ergo praua propria est, eadem inhonesta & mala: quæ bonæ & honestæ, bona. Etenim rerum honestarum laudãdæ sunt cupiditates, turpiũ vituperãdæ. Sed actionibus interiores sunt, & magis propriæ, quæ in ipsis insunt voluptates, quàm appetitiones: quoniam hæ sunt ab illis disiunctæ & temporibus & natura: voluptates autẽ ita propè accedũt ad actiones adeoq́ indistinctæ sunt, vt idémne sit voluptas quod actio, sit quæstio: non tamẽ videtur quidem voluptas esse cogitatio, aut sensus, cùm id sit absurdum. Sed quia non separantur, idem videntur esse nonnullis. Vt igitur actiones sic voluptates differũt. Interest autem aspectus à tactu puritate, & à gustatu tactus & odoratus. Similiterq́ differũt inter se sensuũ voluptates, & ab his quæ mentis sunt propriæ, & inter se vtræq́: videturq́ vt opus, sic sua cuique animaliũ voluptas esse attributa: siquidẽ quæ actionẽ cõsequitur. Id quod singula spectanti videbitur. Alia est enim voluptas equi, alia canis, alia hominis. Verumq́ est illud Heracliti, Asinos stramen malle quàm aurum. Est enim asinis stramen pabulũ, quàm

aurum suauius. Atque hæ quidem quæ propriæ sunt eorum quæ specie differunt, diuersorum etiam sunt generum. Quæ autē eiusdem sunt generis, ea consentaneum est, vt non differāt. At verò in hominibus magna earū distinctio est. Eadem enim res alios offendit, alios delectat: nonnullisq́; molesta ac odiosa est, quibusdam suauis & optanda. Quod etiam in rebus dulcibus contingit. Non enim eadem res dulcis videtur ei, qui febri afflictatur, & valenti: neque idem calidum ei qui imbecilla & infirma est valetudine, & ei qui bene habet corpus constitutum: similiterq́; fit in cæteris. In quibus omnibus id videtur verū quod sapiēti videatur. Quod si præclarè ac verè dicitur: profectò vt videtur, sic etiā est rerum omniū mensura virtus, & sapiens, quia talis est, voluptatesq́; hæ sunt habēdæ, quæ huic videntur: & iucūda ea, quibus idem lætatur. Quæ autem ei grauia & molesta sunt, ea si cui suauia videantur, nihil mirū: Multæ enim sunt hominum deprauatæ infectæq́; affectiones: nec ea voluptatē efficiunt, nisi fortè istis, & qui ita affecti sunt & constituti. Ac eas quidem quas obscœnas & turpes constat esse, perspicuum est non esse nominandas voluptates, nisi fortè deprauatorum hominum. Bonorū autem sunt veræ voluptates. Sed quæ tandem qualisve hominis propria voluptas habenda est? an id perspici potest ex actionibus, quas voluptates consequūtur? Siue ergo vna, siue plures habendæ sunt perfecti & beati viri actiones, profectò quæ has complebunt & absoluent, eæ propriè & verè dici possunt hominis voluptates. Cæteræ secundum locum & eum per-
6 *exiguum, vt etiam actiones, obtinebunt. Reliquum est, quoniā de iis disseruimus quæ ad virtutes, amicitias & voluptates pertinebant, vt populariter ac planè de*

beat

beatitudine dicamus, præsertim cùm in ea rerũ humanarum finem vltimumq́ ponamus. Quòd si quæ suprà dicta sunt paulo altius repetamus, multò breuior futura est oratio. Habitũ quidem eam esse negauimus, quòd dormienti per omne tempus ætatis adesse posset, etiam ei qui vitam plantarũ degeret, eiq́ qui in maximis calamitatibus miseriisq́ versaretur. Quæ si minus probantur, potiusq́ in actione quadam ponenda est, vt suprà docuimus: actiones autem aliæ sunt necessariæ & propter aliud expetendæ, aliæ vi sua & propter se: perspicuum est in iis quæ propter se, non propter aliud sunt petendæ, beatam vitam esse numerandam. Nihil enim beata vita desiderat, nihil requirit, nullo eget, sed se ipsa contenta est. Sunt autem propter se expetendæ, ex quibus sola actio petitur: ex quo sunt genere virtuti consentaneæ actiones. Bene enim & præclarè facta omnia in iis ducuntur, quæ vi sua per se & propter se expetuntur, atque etiam hæ quæ pueris gratæ sunt atq́ iucundæ ludorum oblectationes, quòd eas nusquam illi referant. Dant enim eis incommoda potius, quàm vtilitatem afferant: videmusq́ eos nec valetudinis, nec rei familiaris habere rationem: & confugiunt ad hæc vitæ instituta pleriq́ eorum, qui beati putantur. Itaq́ apud tyrãnos honorati sunt ij, qui in rebus & institutis huiusmodi comes se facetosq́ præbent. Quarum enim rerum illi cupiditate incensi sunt, in iis se iucundos & affabiles esse volunt: quales illi homines requirũt maximè. Atque hæc ipsa quidem videtur propterea vitam beatam cõplere, quòd homines principatu, imperio, & potestate præditi, iis rebus operæ plurimũ tribuũt. Sed fortassis in his talibus nihil exẽpli est constitutũ. Neq́ enim cum potestate & imperio virtus & intelligẽtia, à

quib

quibus actiones honestæ proficiscuntur, coniunctæ sunt, & copulatæ. Nec si propterea, quòd partem nullam liquidæ voluptatis & liberæ vnquam gustârũt, se corporis voluptatibus dedant, idcirco hæ putandæ sunt optabiliores. Nam pueri etiam quæ apud ipsos sunt in honore & pretio, optima existimant. Consentaneum est igitur, vt alia pueris, alia viris in honore sunt, sic improbis esse & bonis. Quare ea demum, vt sæpe dixi, habenda sunt honorata & iucunda, quæ bono viro eiusmodi videbuntur. Singulis autem hominibus quæ à sua cuiusque animi affectione ducitur, maximè expetenda actio est Et sapienti ea, quæ virtuti congruit. Non igitur est in ludo beata vita. Nam absurdum sit profectò, finem rerum omnium in ludo ponere: totáq; ac tãtas res gerere, tot vitæ pericula adire, tanta mala per omne tẽpus ætatis perferre, ob eam vnam causam, vt possis ludere. Omnia enim verè, vt dicã, excepta beata vita, propter aliud expetimus. Est enim ea finis & extremum omniũ. Multum autem studij curæq; ponere, & laborem ferre, vt ludas: stultum quiddam & nimium puerile est. At ludere, vt serias res gerere possis, Anacharsidis sentẽtia cõcessum est. Quoniam enim ludus requieti & cessationi similis est, quoniamq; laborem ferre sempiternum minimè possumus, cessatione opus est. Non est igitur in otio & cessatione finis positus, quippe quæ ad actionem referatur. Beata autem vita, quæ bona est & seria, non in ludo, sed in virtute consistit. Quæq; res bonæ & seriæ sunt, eas meliores dicimus iocis & lusibus, vt optimæ cuiusque partis & hominis actio & virtus sit præstantissima. At optimæ cuiusque partis actio optima est, & beata iam vita maximè propria videtur. Voluptatibus autem corporis frui quiuis potest, etiam

manĩ

mancipium, non minus, quàm vir optimus. At beatitudinē mancipio nemo tribuat, nisi etiam vitā honestā. Nō enim in his vitæ degēdæ rationibus beata vita, sed in virtute cōsentaneis, vt ante dixi, actionibus officiisq; cernitur.

7 *Quòd si beatitudo actio est virtuti congruens, consentaneum est, vt sit optimæ consentanea, quam eandem sitam esse necesse est in parte optima, siue ea quidē mens est, siue alia pars aliqua, quæ naturæ lege imperare debet ac regere, notitiamq; in se rerum honestarum ac diuinarum continere, seu diuina quædam res etiam est, seu in nobis ea nihil est diuinius: in eius certè actione virtuti propriæ consentanea cōpleta & absoluta beatitudo ponetur, quam eandem in cognitione & contemplatione consistere, suprà demonstratum est. Id quod videri potest & superioribus respondere, & conspirare cum veritate. Omnium enim actionum nulla est hac præstantior, nulla melior, nulla denique diuturnior & permanentior. Nam & mente nihil in nobis est, & nihil iis quæ sub mente subiecta sunt ad cognoscendū diuinius. Eademq; ctōemplari diutius, quàm quidquis agere possumus. Præterea voluptatem putamus copulari & connecti debere cum beatitudine. Omniū autem actionum, quæ à virtute manant, nulla est iucundior omniū cōsensu, nulla suauior ea, quæ à sapiētia proficiscitur. Itaque mirabiles quasdam sapientia, puritate & stabilitate habet oblectationes. Atqui consentaneū est doctos, quàm dubitātes & inscios, ex studio maiorē percipere voluptatem. Illaq; quæ fertur satis ampla, & se ipsa contenta ratio, in rerum cognitione & contemplatione consistit maximè. Omnium enim rerū quæ ad vitam degendam sunt necessariæ, & sapiens vir & iustus, & cæteri omnes indigent. Quorum omnium*

vt ſatis magnis copiis abundent, tamen vir iuſtus apud quos & quibuſcũ res iuſtas tractet, deſiderabit. Itemq́ moderatus, & fortis, & cæteri. At verò ſapiens etiam ſolus poteſt in rerum cognitione verſari: eoq́ magis quò erit maiore ſapientia ornatus & inſtructus. Cui quanquam fortaſſis melius eſt miniſtros præſto eſſe, tamen ſe ipſe eſt contentus maximè. Beatitudo etiam ipſa propter ſe ſola videtur expeti, quippe ex qua præter contemplationem nihil conſequatur, & ab iis rebus quæ geruntur præter actionem plus minusùe præterea aſſumamus. Quæ eadem in otio & ceſſatione videtur conſiſtere. Negotia enim ſuſcipimus vt in otio ſimus: & bella gerimus ob eam cauſam, vt in pace viuamus. Ac virtutum quidem vſus & munera earũ quæ ad actionem rerum valent, in ciuilibus bellicisq́ rebus vigent maximè: quæq́ in his verſantur actiones & officia, negotioſa videntur. Ac bellicæ quidẽ omnino. Nemo enim bellum quia bellum eſt gerere inſtituit, neq́ bellum parare. Crudelis enim videatur omnino, ſi quis cõtra amicos bellum inſtruat, vt pugna edatur, fiantq́ cædes. Eſt autem ciuile officium in negotio, eiq́ præter Reipub. adminiſtrationem propoſita ſunt imperia & honores: aut certè beatam vitam ille ſibi ciuibusq́ eam quærit quæ eſt ciuilis ſcientiæ propria, atq́ ab hac longè diuerſa, quam quærimus, quamq́ ab illa differre cõſtat. Quòd ſi virtutum actionibus & officiis bellica & ciuilia multò præſtant & dignitate & magnitudine, hæc autem actuoſa ſunt, ad finemq́ aliquẽ referũtur, nec propter ſe expetuntur: certè mentis & animi ſapiens actio longè excellere videatur, quæ & cognitione dirigitur, & præter ſe finem ſibi nullum proponit, & propriam habet oblectationem qua ipſa maximè augeatur. Quocirca

circa & quod satis est, & otium, & vacuitas defatigationis, quãtũ natura humana patitur, cæteraq; omnia quæ beato viro tribuuntur, hac ipsa actione continentur. Hanc igitur si perfectæ & absolutæ vitæ vsura accesserit, completam beatam vitam hominis licet dicere. Nihil enim in beata vita non perfectũ potest existere. Quæ talis vita profectò melior est, quàm vt attribuere eam sibi homo debeat. Eã enim agat, nõ quia homo est, sed quòd in eo diuinum quiddam inclusum est, quod quantò præstat ei quod concretum est, tantò eius actio alterius virtutis actionibus antecellit. Vt igitur diuinum quiddam mens est cum homine cõparata, sic vita ei congruens & consentanea, diuina est ad humanam. Omnesq; debemus, non, vt hortantur quidam, spectare humana, cum simus homines, nec mortalia cũ mortales, sed quoad possumus, niti ad immortalem gloriam, omniaq; perficere, vt vitam ex eo degamus, quo nihil est in nobis præstantius. Et si enim mole exiguum est, at vi certè & dignitate multũ rebus omnibus antecellit: quæ pars cuiusq; is est quisq;: siquidẽ in nobis summa omnis eius est, eaq; nulla præstatior. Quo indignius videatur si non suam quisq; vitam sequatur, sed alienã. Accedit huc quòd & antea diximus, & nunc dici par est, quod cuiq; tributum sit à natura, id cuiq; esse & optimũ & suauissimum. Et vita igitur homini est suauissima mẽti congruens: siquidẽ est homo hæc pars maximè, quæ eadem vita etiam beatissima sit necesse est.

8 *Secũdo loco vita dicitur ea, quæ reliquis virtutibus congruit, quòd actiones illis consentaneæ sint humanæ. Nam & iustitiæ nos & fortitudinis cæterarumq; virtutum muneribus officiisq; vltro & citro fungimur, cum rebus contrahendis, vtendis, agendis, & perpetiendis suũ cuiq; tribuimus*

buimus pro dignitate, quæ ad naturam humanam perspicuum est omnia pertinere. Atq; etiam à corpore quædam officia ducuntur, habetq; cum perturbatione bonitas morum & virtus magnum commercium. Copulata etiam est & connexa prudentia cum virtute, quæ spectatur in moribus: & hæc ipsa cum prudentia. Nam & prudentiæ initia manant ab his virtutibus, quæ more perficiuntur: & quicquid in eis est quod bonum rectumq; sit, id omne à prudentia ducitur. Atqui hæ ipsæ in perturbationibus inhærent, in eoq; toto quod ex anima & corpore concretum est, sitæ sunt: cuius quoniam humanæ sunt virtutes, necesse est etiam vitam eam quæ ad eas dirigitur, & beatitudinem esse humanã. At verò quæ à mente vita & beatitudo proficiscitur, ab illa separata est. Hæc enim de ea dicta sint hactenus: quoniam de ea subtilius disputare, maioris negotij sit, quam quod suscepimus. Sed paulum admodum hæc fortuna bona & affluentiam, aut minus etiam quàm quæ more perficitur, videtur requirere. Nam vt rerũ ad viuendũ necessariarum vsus vtriq; par sit & æquus, etiam si maior quædam ei qui in actione versatur ad res corporis cæterasq; omnes eiusdem generis procreandas adhibenda sit diligẽtia (perexigua enim est distinctio) at certè in officiis & actionibus sequendis plurimum inter eos intererit. Nam & liberali ad tuenda officia liberalitatis, pecunia opus erit: & iusto quidem ad referendam gratiam. Incerta enim sunt voluntates hominum, multique cùm iusti non sint, præ se ferunt iustitiæ speciem & opinionem. Forti verò vis est necessaria, si quid virtute gerere velit: & moderato viro licentia. Quomodo enim perspici poterit, vtrũ hac virtute præditus sit, an ab ea alienus? Vtrum autem voluntas & prima susceptio

ptio plus in virtute possit, an effectus, quoniã in vtroq; consistit, quaestio est. Nec dubium quidem quin in iis duobus perfectio & quasi summa consistat. Sed actiones multa desiderant eoq; plura & maiora, quò maiores & clariores. At homo is qui in rerum cognitione versatur, res eiusmodi ad actionem nihil requirit, quin etiam verè vt dicam, impediunt cõtemplationem. Sed tamen quia homo est, vitaq; vsu cum multis implicatur, vt officia sequatur, idcirco his ei opus erit, vt more hominum vitam possit degere. Hanc autem vndique completam & absolutam beatitudinem in actione quadam esse cognitionis & contemplationis, hinc etiam perspici potest. Deos enim putamus esse beatissimos: quas tandem iis actiones, quae officia tribuemus? Num iustitiae? At nónne ridiculi videbuntur, si & res cõtrahant, & deposita reddant, caeteraq; faciant eiusdem generis? An fortes dicemus eos qui res asperas perferant, periculaq; adeant ob eam causam, quia deceat? Num liberales? At cui largientur? Absurdũ etiam videatur, si numum, aut tale quid habeant. An verò temperantes? At quî esse possunt? An non laus sit violenta & importuna, prauis eos vacare cupiditatibus? Atqui si per omnia actionum officiorumq; genera expatiemur, perexiguam sanè laudem, & deorum maiestate indignam continere videbuntur. Attamen eos viuere omnes existimant: Agere ergo etiam eos putant. Non enim par est, eos tanquam Endymionẽ, dormientes facere. Sublata igitur agendi, faciendiq; ac multò etiam magis ratione, quid tandem viuenti Deo praeter contemplationem relinquitur? Ita Dei praestans beatitudine actio in cognitione & contemplatione consistat necesse est. Atque etiam hominum actio, vt quaeque

ad hanc proximè accedit, ita est beatissima. Idq; ex eo intelligi potest quòd cætera animalia sunt omnia expertia beatitudinis, cũ huius sint generis actione omnino priuata. Nã omnis est deorũ beata vita, hominum autẽ quatenus in ea elucet quoddã eius actionis exemplar. At ex cæteris animantiũ generibus nullũ beatitudinẽ consequitur, quod cognitionis & contemplationis nullo modò sit particeps. Quàm ergo latè patet cõtemplatio, tam etiã beatitudo: & quò maior aliquibus inest cognitio & contẽplatio, eò ampliorẽ beatitudinẽ cõsequuntur, nõ temere & casu, sed contẽplatione. Est enim per se plena dignitatis. Ita est in cõtemplatione beatitudo. Cõmodis autẽ externis, cùm homo sit, indigebit. Imbecilla enim natura est ad rerum cõtemplationem. Sed certè opus est corpus valere & vigere; præsidiaq; alimento necessaria, reliquumq; cultũ suppetere. Nec si beatus sine bonis externis esse nemo potest, idcirco multis & magnis beato fore opus putandum est. Non enim in nimia quadam rerũ omnium abũdantia & affluẽtia, satietas posita est vel officium: possunt enim ij etiam qui terra mariq; non imperant, res gerere & magnas & dignitatis plenas. Nam cui adsint modicæ ac moderatæ opes, is potest ea efficere, & præstare omnia quæ virtuti congruunt. Quod plane cernere licet. Priuati enim homines, nihilo minus, ac multò etiam magis virtutem colũt, quàm ij qui sunt in magistratu. Atque hæ tales satis magnæ sint copiæ: quandoquidẽ vita futura est beata eius qui virtutem colet. Et Solon quidem beatos rectè profectò eos dixit, qui moderatis externis copiis & cõmodis præditi, res gessissent illustrissimas, & temperatè moderateq; vixissent. Fieri enim potest, vt qui mediocres opes habeant, officium sequantur. Ana-

xagor

xagoras verò nec diuitem, nec potentem quenquã beatum iudicare videtur, quòd neget sibi mirũ visum iri, si quis multitudini quæ ex bonis externis, quorum solum sensum habet, homines iudicaret, ineptus & stultus videretur. Atque orationi nostræ sapiẽtum quoq; sententiæ congruunt, quæ magnam quandam habent illæ quidẽ autoritatem, sed tamen cũ de officiis agitur, tum ex factis & vita, in quibus laus omnis versatur, veritas iudicatur. Spectãda igitur sunt in factis & vita antè dicta omnia: quæ si cum factis consentiant, comprobare: sin discrepẽt, verba existimare debemus. Vt autẽ quisque mentem vitæ actionisq; ducem maximè sequitur & colit, estq; optimè animo cõstitutus, ita est Deo charissimus. Etenim si dij res curant humanas, sicuti curant, profectò illud quidem est consentaneum, vt re delectentur & optima, & quæ generis societate cum ipsis sit cõiunctissima, qualis mens videtur esse: iisq; hominibus qui eã rem maximè ament & colant, beneficia reddát, quòd res eas curent illi quas habent charas rectèq; ac præclarè facta sequantur. Nec verò dubiũ est, quin hæc ipsa insint omnia sapienti. Ergo Deo charissimus est, ideòq; beatissimus debet esse. Ita sapiens maximè est beatus futurus.

9 *Sed quoniam de his rebus, de virtutibus: de amicitia: de voluptate satis multa dicta sunt dilucidè ac pingui quadã Mineruа: quæret aliquis, nũ finis instituti mei venisse putãdus sit, an, vt aiunt, cũ officia & actiones traduntur, nõ est finis in cõtemplatione & cognitione positus, sed actione potius singulorũ? Atqui ne virtutẽ quidẽ satis est habere cognita, dãdaq; opera est, vt & habere eã & colere possimus: aut si quo alio modo mouemur, vt boni simus. Nam si in verbis satis magna vis esset ad assequendam virtutẽ, iure profectò*

Theognidis sententia, magnum illa quidem fructum ferrent, eaq; comparare sibi oporteret. Nunc verò valere illa quidē vidētur ad hortādos excitandosq; adolescentes liberaliter educatos: valent etiam ad mores ingenuos imbuendos, & ad verum honestatis studium, cum iam mores rectà educatione exculti sunt: sed plerosque ad virtutis honestatem non possunt traducere. Neque enim pudore parêre solent, sed metu: nec deterret eos à facinorosa vita ipsa turpitudo, sed pœna. Cum enim se totos motionibus animi perturbatis dediderint, suas quisque persequuntur voluptates, eaq; omnia ex quibus oriantur, fugiuntq; dolores contrarios. Honesti autem veræq; voluptatis, quam nunquam degustârūt, nec partem nôrunt vllam, nec vnquam nosse voluerunt. Hos ergo tales homines, quæ tandem vis orationis possit à peruersa illa & facinorosa vita ad rectam honestamq; deducere? Non enim potest, aut non facilè potest, si quid est penitus insitum moribus id oratio euellere. Sed contenti esse debemus profectò, si iis omnibus adhibitis quibus probi videmur fieri posse, virtutis cōpotes simus. Probos autem fieri alij natura putant, alij consuetudine, plerique doctrina. Ac illud quidem perspicuum est, quod à natura ducatur officium, non esse illud quidem in nostra situm potestate, sed à diuina quadam vi iis suppeditari, qui verè sint beati. Orationis autem & doctrinæ vis nunquam apud omnes idem valet, sed debet antè vt humus quæ semen fotura est, sic impotentis animus quibusdam moribus excoli, vt rectè lætari ac dolere possit. Nō enim audiat, intelligátue orationē dehortātis qui pareat perturbationibus. Qui ita sit affectus, quo tandē modo verbis poterit deduci de sententia? Omnino verò non oratione videtur, sed vi

pert

perturbatio posse sanari. Quocirca mores quodã modo antè inesse oportet virtuti accõmodatos, qui & honestatis amore & turpitudinis offensione moueantur. Difficile autem est, cum his legibus talibus non sis educatus ab ineunte ætate, rectam vitæ viã ad virtutem ferentem assequi. Nam cum plerisq; moderatè & constanter viuere molestum est, tum adolescentibus maximè. Itaque præscribi educatio & studia debẽt legibus: quæ minus molesta futura sunt, si consuetudo adhibeatur. Nec verò fortasse satis est quidem, ab ineunte ætate educationem rationemq; viuendi rectam sequi. sed cõfirmatis iam ætatibus omnes oportet in his ipsis studiis versari, ad eaq; adiungere cõsuetudinem. Atque in his quidem, omninoq; per omne tẽpus ætatis, legibus opus est. Pleriq; enim vi potius quàm ratione, & pœna magis quàm honestate ad officium impelluntur. Quocirca quidam latores legum putant debere adhortari & incitare ad virtutẽ honestatis studio, quòd consuetudine in primis sint obtemperaturi boni: in eos autem qui parêre nolint, nec generosi sint, pœnas & supplicia constituere. At eos qui à peruersa vita detorqueri nullo modo possint, ex corpore Reip. exterminare omnino. Nam & bonum virũ, qui honestè viuat, rationi obediturum: & improbum, qui voluptatis cupiditate incensus sit, tanquam iumentum, dolore demum coerceri posse. Itaque pœnas aiunt eiusmodi extare oportere, quæ voluptatibus, quibus erant dediti, repugnent maximè. Si quis igitur bonus futurus est, primùm rectè, vt dixi, educari debet, consuetudinemq; exercitationis capere: deinde ita honestis studiis ætatẽ conterere, vt quæ flagitiosa sunt, nec inuitus, nec suã spõte admittat. Quæ quidem omnia ita fiẽt denique, si quis vitæ ducẽ ratio-

nem sequatur,& cui vis insit, rectam præscriptionem. Ac patrium quidem imperium nec cogit, nec vim aut necessitatem affert,neq; cuiusquã hominis vnius omnino,nisi qui rex sit,aut simili aliqua potestate præditus. At verò lex vim habet ad cogendum idoneam,quæ sit mens ratioq; prudentis.Et improbi quidem eos oderũt qui ipsorum obsistant appetitionibus,etiam si rectè hoc facere videantur.At lex non est inuisa,quippe quæ bonum æquumq; decernat.In sola autem Lacedæmoniorum ciuitate,ac paucis aliis,legislatori curæ fuit educationis disciplinæq; ratio. In plerisque hæc neglecta sunt omnia,in quibus pro sua quisq; libidine vitam agit,Cyclopumq; more & liberos instituit & vxorem. Ergo omniũ rerum nihil est melius,nihil præstantius,quàm si recta disciplina publicè sanciatur, quam omnes sequi possint.Quæ si publicè negligatur,tum par erit omnes ad virtutẽ adiumẽtũ adferre suis liberis & amicis,aut certè velle.Quæ omnino facultas penes eum erit maximè,qui superiora hæc præcepta secutus,facultate legũ ferendarũ multũ valebit.A lege autẽ publicæ discipli næ ducũtur,sed rectæ à bonis.Vtrũ autẽ scriptæ sint,an nõ scriptæ:aut vnúsne an multi his instituantur,nihil intersit:sicuti nec in musica, nec in gymnastice, aliisq; studiis.Vt enim in Rep.ius legitimum & cõsuetudo,sic domi priuatim rationes paterniq; mores & instituta valent:eoq; magis,quòd generis inter eos & beneficiorum intercedit communio.Amicitiam enim natura inter eos,animorũq; ac voluntatum consensionẽ peperit. Iam verò vt in medicina,sic hìc priuata a publicis disciplina differunt. Nam generatim omni homini qui æstu febriq; iactatur, prodest inedia &quies:at alicui forsan non prodest.Nec certè ludimagister pugilibus

omnib

omnibus idem genus pugnæ præscribit, & constituit. Priuatæ autẽ res ita demum tractabũtur accuratius, si disciplina priuata adhibeatur. Omnes enim quod decorum est, assequuntur facilius. Sed ita deniq; summã curã & diligentiam rebus singulis & medicus & gymnastes & quiuis alius adhibiturus est, si genus totũ intelligat omnibus prodesse, vel his, vel illis. Scientiæ enim dicuntur ac sunt rerũ vniuersarũ propriæ. Et quãquam nihil fortè prohibet rectè curare aliquid eũ, qui sit ille quidem inscius, sed tamen omnia notauerit & obseruãrit longa meditatione, quæ quanque rem consequãtur: sicuti etiã sunt quidã medici, qui seipsis curandis plurimum valent: & tamen alteri nihil opis ferre possunt: tamen nihilominus ad res vniuersas debet fortasse contendere, easq; tenere quoad eius fieri poterit, is quidem qui se doctum & artificem esse velit. In his enim artes dicimus consistere. Ac si quis forsan suo studio & diligentia siue multos, siue paucos meliores velit efficere, ei danda opera est, vt ad leges imponendas aptus esse videatur: siquidem boni futuri sumus legibus. Neque enim in cuiuslibet sitũ est potestate, vt quemuis etiam quem sibi proposuerit, rectè efficiat: sed si quis hoc potest, profecto peritus & doctus: id quod in medicina videre licet, reliquisq; rebus omnibus quarum est disciplina quædam, & communis prudentia. Sed deinceps exquirendum est vnde, aut quo tandem modo quis rationem condendarum legum possit assequi: an vt in cæteris fit, ab iis id petendum est, qui ciuili sciẽtia sunt præditi? pars enim ciuilis scientiæ videbatur: an potius non idem fit in ciuili scientia, quod in reliquis scientiis & facultatibus omnibus? In aliis enim eosdem constat, & artem ipsam tradere, & eadem duce fungi munere;

vt medici & pictores faciunt. Atqui res ciuili scientiæ subiectas se profitētur Sophistæ esse docturos, se autem eas gesturum esse nemo profitetur, sed ij qui Rempub. gerunt: qui hoc ipsum vi quadam & vsu potius præstare videtur, quàm cōsilio atque ratione. Neque enim aut hæc mādant literis, aut de iis disserūt: etsi præstantius sit profectò, quàm vel iudiciales habere orationes, vel conciones. Nec verò ciuili scientia erudierunt suos liberos, vel alios amicos: quod certè consentaneum fuisset, id si præstare potuissent. Non enim aut Reip. quicquam melius hac vi & facultate relinquerent, aut sibi adesse malint, aut iis etiam quos habent charissimos. Non tamen videtur parū adiuuare exercitatio. Neq; enim scientiæ ciuilis consuetudo eos ad Rempub. gerendam paratiores & instructiores faceret. Quocirca qui ciuilis sciētiæ studio trahuntur, iis necessaria experientia est. Qui autem Sophistæ hanc profitētur scientiam, procul admodum ab eo absunt vt doceant: quippe qui omnino nec quid sit ipsa nôrint, nec quibus in rebus versetur. Non enim eandem quam Rhetoricen, nec inferiorem ponerent: nec facile esse putarent ferre leges ei qui probatas leges vnum in locū contulisset: licere enim deligere optimas, quasi delectus non sit prudentiæ, & iudicium verum non sit omnium maximum. Quod in musicis animaduerti potest. Qui enim in rebus singulis exercitati sunt, ij verè de officiis factisq; iudicant: quibusq; rebus & quemadmodum perficiatur decorum, intelligunt, & quæ quibus congruant. At imperiti contenti sunt, dum non ignorēt, rectène res acta sit, an præposterè: quod in pictura contingit. Cùm autem leges rebus ciuili scientiæ subiectis sint similes, quo tandem pacto quisquam per eas scientia legum ferēdarum erit

instr

instructus? aut quæ optimæ sint iudicabit? Non enim medici habendi sunt ij, qui habent cognita quæ libris medicorum traduntur, etiamsi nō solùm curationes conentur nominare, sed etiā ægros curari posse, & quemadmodum sint adhibendæ curationes, suis cuiusq; expositis affectionibus. Quæ exercitatis & peritis omnia magnum adiumentum adferant, inscijs nō itē. Ita fortassis legum ac rerum publicarum collecta instituta eos adiuuabunt, qui rectène, an contrà, aut quæ quibus conueniant, cognoscere ac iudicare poterunt. At qui ea euoluent & percurrent, sine animi habitu, vt nūquam verum inde quidem iudicium comparare possint, nisi fortuitu, at certè prudentiores in his sunt futuri. Quoniam igitur superiores prætermiserūt accuratè tractare, quæ ad scientiam legum ferendarum pertinēt, de iis forsan diligentius disputare est melius, ac de toto genere Reipub. vt quæ in rebus humanis versatur Philosophia, à nobis, quoad eius fieri poterit, vndique suis partibus omnibus perfecta absolutaq; videatur. Ac primùm quidē si quid à maioribus rectè traditū sit, sigillatim exponam: deinde ex iis rebus publicis quas collegimus, quæ res euertant Resp. perspiciemus, & quæ conseruent: & quid ita aliæ rectè, aliæ contrà, administrentur. His enim cognitis, facillimè fortassis & quæ omnium optima sit, & quemadmodum singulæ constitutæ sint, & quibus legibus, institutisq; vtantur, intelligemus.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISS. CARDINALI *Alexandro Farnesio;*

Daniel Barbarus

S. D.

DEMETRIVS *ille Phalereus Ptolomæum regem peramicè hortari solitus erat, vt eos sæpe libros euolueret, in quibus de regno rectè administrando præcepta continerentur: propterea quòd in iis multa inspiciuntur, de quibus amici reges commonere non audent. Nouerat enim vir summus, & sapiens, in libris non esse fucum adulationis, non illecebram vllam obsequij, sed simplicem nudamq; veritatem reperiri: at inter homines permultos esse, qui splendore falsi honoris obiecto, Principum animos perstrictos tenere se posse confidũt, cùm potius fortunæ regiæ, quàm regum ipsorum amatores dicendi sint. Hoc ego tam vtile, ac tam illustre præscriptum, non modo prodesse iis puto, quibus amici, neque veri, neque probati sunt, sed iis etiam qui bonos habent ac fideles: nanque vt illi libros optimos cognoscendo, verum ab obliquo facilè queunt discernere: ita ij fructuosam quandam capiunt voluptatem, cùm præclaro ac certo librorum testimonio sciant se amicos ingenuos, liberos, ac prudentes habere. Quare factum est, vt ad te, Cardinalis amplissime, aureum sanè libellum de moribus mitterem, in quo tanquam in speculo non solùm tuas, tuorumq; maiorum, sed etiam*

eorum

eorum qui te circunstant, virtutes agnosceres, & indicares. Libellũ hũc Hermolaus Barbarus patruusmeus magnus, dum Patauij publicè Aristotelis Ethicẽ profiteretur, autoris ipsius mentem atq; ordinem sequutus, in compendium redegit. Vt mirum fuerit, Aristotelica breuitate breuius aliquid inueniri. Mitto autem ipsum ad te primùm, vt pro me vadem accipias, quem tu summa humanitate, cum essem Bononiæ tertio ab hinc anno, in tuorum numerũ recepisti. Deinde, vt ipsius Hermolai, de quo beatissimus ac sanctissimus patruus tuus honorificè sæpe loquitur, aliquid habeas, quod te veteris obseruantiæ nostræ commonefaciat. Postremò, vt etiã ipsi libello penè postulanti satisfaciam. Erat enim is anteà, vt videbis, Petro Foscaro Cardinali dicatus: quare præsidẽ quærit amplissimum, & bonis omnibus ornatissimum, in cuius thesauris collocetur. Nec timet, prolixitate sua tibi esse molestus: est enim breuis, præcisus, & compendiarius: nec impedire poterit illum tuum cursum felicissimum, quem pro communi omnium vtilitate conficis, dum celsitudini ac sanctitati summi patrui obtemperas, ac fluctuantem Petri nauiculã in portum ex alto inuehere studes. Non dulces amicorum salutationes, non humanissima in eos qui te adeunt officia, non tuas laudabiles actiones retardabis, cum in eo (veluti in prudentissimo viro) breuitas sit absoluta, oratio dulcis & morata, elegantia & puritas admirabilis, qualem qui cum Principib. negotiantur, in sermone præstare debent. Accipe igitur meæ in te obseruantiæ pignus non aspernandum: accipe gentilis mei monumentum insigne: accipe tuarum virtutum indicẽ, ad posterorum memoriam copiosum: in hoc enim munificenti

ficentiæ, celsitudinis, æquitatis, ac modestiæ tuæ speciem ac heroicam illam Farnesiæ domus excellentiam recognosces: quæ omnia si ego quoque iam complecti oratione studerem, eã laudans breuitatẽ negligere viderer, quã summopere in hoc libello, ac in omni institutione commendandam puto. Vale.

HERMO

HERMOLAVS BARBARVS ZACHARIAE EQVITIS *Filius, Excellentissimo Præsuli P. Foscharo* S. D.

CVM neque ex tua dignitate sit, prælectionibus meis interesse: neque in ea re quicquam prodesse possim tibi, qui in omni doctrinarum genere tantùm eruditione præstas, quantum moribus & honestate: statui ad te compendiosum Aristotelem mittere. Non vt tibi afferrem vtilitatis aliquid, sed vt haberes, vnde exercitationum mearum aliquid degustares. Intelligerésque vel ex hoc quantulocunque argumento, me omnem meam cogitationem in te vnum coniecisse. Plura dicerem, nisi satis longa videretur præfatio: extimatione compendij. Vale mi Domine Patauij, prid. Kalend. Decembris. *M. CCCC.* LXXIIII.

EPITOME LIBRORVM ARISTOTELIS ETHICORVM.

Sensus primi capitis, quod incipit, Omnis ars, &c.

Rerum humanarum omnium finem aliquem esse præstitutum oportet. Finium enim alij sunt ipsæ actiones, puta, citharistarũ finis est ipsa citharissatio: alij sunt ipsa opera, puta fabrorum ferrariorum finis, est culter. Nam diuersarum artium diuersi fines conspiciuntur. Sed principalium tamen artium fines potiores existunt, quàm fines earum, quæ principalibus artibus famulantur. Quis enim nõ iudicauerit præstãtius esse, nauim gubernare, quàm ædificare? Porro quantum ad finium ordinem spectat, nihil interest, vtrum finis sit actio, an sit opus. Nam plerunq; fit, vt finis qui est actio, præstantior sit quàm finis qui est opus, & econuerso.

Sensus II. Capitis I. Tractatus, quod incipit, Si vtique est aliquis finis, &c.

ERIT *itaque finis aliquis in rebus humanis optimus, ne infiniti sint fines. Eius verò postremi & optimi finis cognitio sanè necessaria videtur esse ad vitam bene, beateq; traducẽdam. Nã & sagittarij facilius metã attingunt, si signũ inspiciãt. Cùm ergo finẽ hũc hominis optimũ ciuilis scientia perscrutetur, iure meritoq; præstantissima erit, & maximè princeps partiũ reliquarũ.*

Sensus III. Capitis I. Tractatus, quod incipit, Videtur autem sufficienter, &c.

AT *is qui nostram hanc disciplinã tradet, certissimas demonstrationes afferre non poterit. Non enim efficacissima ratio reddi potest earum rerum quæ circa actiones consistunt humanas, quippe quibus nihil sit instabilius. Sed & is qui discere volet, minime expectabit*

bit

bit curiosas explicationes, sed rudes, & quæ suadeant, potius quàm persuadeãt. Vnde fit, vt iuuenis, quia inexpertus humanarũ actionum, & obnoxius vitio, vtpote qui iudiciũ rationis amiserit, nequaquam idoneus huius sciẽtiæ auditor habeatur. Erit ergo idoneus dũtaxat is, qui affectus omnes imperio rationis subiecerit.

Sensus I. Capitis 2. Tractatus, quod incipit,
Dicamus autem resumentes &c.

QVare cùm de fine optimo, qui felicitas ab omnibus nuncupatur, varij varia sensisse videantur, nos veritatem in ea re attingemus, si à notioribus apertioribúsque, quales sunt ipsæ humanæ actiones, sumemus exordium. Ergo & eum qui est auditurus, oportebit aut instructum, & bene moratum accedere, aut obtemperare præcipienti: si quis verò neutrum præstet, sciat se inutilem futurum, vt Hesiodus cecinit.

Sensus II. Cap. 2. Tractatus, quod incipit,
Nos autem dicamus.

PROFECTO *felicitatem in rebus humanis consistere, recta ratione omnes arbitrãtur. At ij qui in voluptate positam asserunt, quadrupedẽ inter & hominem nihil putãt interesse. Qui verò in fortunis & honoribus cõstitutam volunt, nimirũ & ipsi fallũtur. Quid enim felicitate constantius? quid inconstantius hominũ opinione atq; fortuna? sunt & qui in virtute locatã tueantur. Sed euenit vt is qui virtute pollet, quãdoq; in miseriis & luctu degat, deformis, mendicus, æger, orbatus.*

Sensus III. Cap. 2. Tractatus, quod incipit,
Quid autem vniuersale.

QVOD *autem Platonici introduxerunt, summum videlicet bonum in idea illa separata à rebus humanis esse constitutum: nónne absurdissimum est, cùm summum*

mum

mum bonum possideri possit, ideà verò illa non possit. Quinimo neque vtilis quidem est eius rei cognitio operi vllo faciundo. Nam quid me hercule, vt de reliquis taceā, ad calceos pertinet, ideā eius artis contemplari?

Sensus IIII. Cap. 2. Tractatus quod incipit, Rursus autem redeamus.

CVM *ergo finis is, cuius gratia qualibet ars agit, quicquid agit, sit optimus: optimus verò sit perfectissimus: perfectissimus autem sit ex se sufficiens felicitas, quem esse finem optimum constat, erit & perfectissimum quid, & ad beatam vitā suapte natura sufficiens. Præterea, cùm humanarum rerum bonitas in actione consistat, felicitas vtiq; actio erit: non quæcunque, sed homini propria. Erit inquam actio virtutis, non cuiuscunque, sed perfectissimæ: qualis est actio intellectus. Cur enim optimo fini non congruat optima actio? Adde, in vita perfecta: vna enim hirundo ver non facit. Sed agamus de iis diligentius: diligentius dico, quatenus materia rei patitur, ex accōmodatisq; principiis, quæ in morali scientia ex sola consuetudine cognoscuntur. Est enim principium in vnaquaq; actione, rei plus quàm dimidium.*

Sensus V. Capitis 2. Tractatus, quod incipit, Scrutandum vtique de ipso.

SED *nostræ de felicitate opinioni concors est sententia antiquitatis, quæ in bonis animi beatitudinē censuit collocatam: quod & nos dicimus. Item bene agere, & bene viuere, putauerunt idem cum eo quod est beatum esse: quod & nos putamus. Præterea neq; multum ab iis dissentimus, qui virtutem cum voluptate & opulentia, felicitatem esse arbitrati sunt. Est enim felicitas, aut*

tas, aut virtus, aut virtutis actio: cumq́ nulla sit virtutis actio qua careat voluptate, sanè felicitas erit vndiq́ voluptatibus refertissima. Fortunas quoq; & bona corporis conferre ad beatitudinē, nos cū illis sentimus.

Sensus I. Capitis, Tractatus tertij, quod incipit, Inde quæritur vtrum.

QVod cùm felicitas præstantissimum opus sit, minimè assentiendum est iis qui à fortuna ortum & causam habere contendunt, sed aut ab ipso numine, aut ab humanis actionibus proficiscitur. Vnde quia cum brutis nequaquam nobis est virtutis actio communis, beata esse illa non poterunt. Sed neque pueri. Opus est enim ei qui felix sit futurus, & virtute consummata, & vita perfecta: quorum neutrum esse in puero per ætatem licet.

Summa II. Capitis, 3. Tractatus, quod incipit, Multæ autem transmutationes.

C V M *verò hominis vita obnoxia esset multiplici fortunæ varietati, existimauit Solon tūc beatum fuisse quempiam videri, cum esset defunctus. At malè sensit. Si enim fuit beatus quispiam, cùm non sit quando iam est defunctus, beatus certè erat quādo viuebat. Nimirum si ex virtutis actionibus oritur beatitudo, aduersæ res, quia ex fortuna pendēt, aut nō deijciēt de statu felicitatē: aut si deijcent, tales erunt, quales humanitus tolerari non possunt. Licet tamē claudere quæstionem, vt is scilicet in vita beatus sit, qui ex optima virtute agit in vita perfecta, decessurusq́ est, quamuis id nesciamus, pari fortuna.*

Sensus III. Capitis, 3. Tractatus, quod incipit, Pronepotum autem fortunarum.

S E C V N D A S *autem res & aduersas amicorū in*

amicos redundare, nemo dubitat. Ad defunctos quoque pertinere fortunam eorum qui superstites relicti sunt, pietatis est credere. Non tament antam vim habere putandum est, vt propterea ij qui felices fuerint, reddantur miseri: & ij qui in miseria vixerint, efficiātur beati.

Sensus primi Capitis, 4. Tractatus, quod incipit, Determinatis autem iis.

QVamuis autem virtutē laudarē, actionē cōmendare cōsueuerimus: laus tamē ad easres maximè pertinet, quæ aliò referuntur. Vnde quia dij aliò minimè referuntur, laudari non debent, sed honore potius affici, & veneratione. Eodem pacto felicitatem, quia aliò referri nō potest, vtpote ad quam potius cætera humanæ actiones referantur, inter bona honorabilia connumerare oportebit.

Sensus Cap. 11. & vltimi, Tractatus quarti & vltimi, primi libri Ethicorum, quod incipit, Si autem felicitas.

EST *autem de virtute scrutādum humana, cum in illius actione sit à nobis cōstituta. Virtutes autē animi quærimus. Quare ipsius animi cognitio necessaria erit, sed eatenus tamē, quatenus ad rē attinebit. Satis itaq; est, si intelligamus, duas esse animæ portiones: vnā, quæ rationis est fundamentū & radix, qualis est portio animæ intellectiua: aliā, quæ rationē quidē suapte natura nō habet, sed quæ potest esse particeps, si obtēperare voluerit præcipienti rationi, qualis est portio appetitiua. Illæ ergo virtutes, quæ in portione intellectiua existūt, dicūtur intellectuales: illæ verò quæ in altera cōstitutæ sunt, morales appellantur, quales sunt liberalitas: tēperātia: intellectuales autē, sapientia, prudentia.*

ETHICORVM ARISTOTELIS LIBRI I. FINIS.

SECVNDI LIBRI ETHICORVM ARISTOTELIS EPITOME.

HERMOLAVS BARBARVS PATRI PIENTISſis. P. Foſcaro. S. P. D.

ABSOLVIMVS Prælectionem ſecundi voluminis, cuius Summulas pro meo inſtituto ne ad te heri mitterem, deterruit facetiſsimum Facnij noſtri epigramma. Paratus enim erat libellus. Sed me, vt dixi, deterruit Chriſtianus ille, putauíque non fore ſcriptiunculis meis locum poſt tantam eius carminis comitatem. Continui itaque hactenus Commentariolum hunc, eo conſilio, vt ſedata parumper ea titillatione, meæ nugæ tibi eſſe aliquid viderentur. Quod niſi temporis hoc interiecti imminuit tibi, vt mihi non imminuit, eam voluptatem: vereor, ne tibi me ranas miſiſſe arbitreris. Vale decus Curiæ. Patauij, IIII. Nonas Ianuarias. M. CCCC. LXXV.

Sensus primi capitis, primi Tractatus, secundi libri Ethicorum, qui incipit, Duplici, &c.

CVm virtutes intellectuales ex doctrina, morales ex vsu oriantur, neutræ naturaliter inerunt homini. Naturaliter enim ea insunt, quæ ab ipsa statim natura, non ab vlla exercitatione proficiscuntur. Non tamen putandum est, virtutes nobis cotra naturam inesse: nihil enim contra naturam fieri, nasciq́ potest. Quod si recta actiones virtutem efficiunt, praua corrumpunt, necesse est ea quibus quis à teneris annis assuescit, magnum habere in tota vita momentum.

Sensus II. Capitis, primi Tractatus, quod incipit, Quoniam igitur.

SED *cum virtutis cognitio parũ prosit sine actione, inuestigandũ est quales sint virtutis actiones. Sanè illas, recta ratio concomitatur, quemadmodum dicetur libro sexto. Talesq́ sunt, vt cum exuperantia defectuq́ corrumpantur, necesse sit ad æquilibrium in media sede consistere. Sed & notissimum illud est, per singulas virtutes discurrenti, similes esse actiones quæ virtutem præcesserũt, iis quæ virtutem habitam consequutæ sunt. Temperatus enim, & temperauit voluptatibus antequam fieret temperatus, & temperat æquè quando iam est affectus temperatus.*

Sensus tertij Cap. primi Tractatus, quod incipit, Signum autem.

CVM *autem ea sit ratio potissima cognoscendi, nos esse virtutem assequutos, si quid agimus, agimus cum voluptate: contra, si cum dolore animi quippiam facimus, intelligere possumus, nos carere virtute: necessarium virtutem & vitium in voluptate & dolore cōsistere*

ſtere. Præterea cur non conſiſtant, ſi per voluptatem doloremq; generantur & corrumpuntur? voluptas enim nos ad malum impellit, dolor a bono deterret. Deinde ſi quicquid honeſtum & vtile & bonum eſt, continuo fit vt etiam ſit voluptuoſum: cur non & ipſa virtus ſuam habeat ex voluptate portionem? Poſtremo, ſi circa difficilia verſari virtutem conuenit, quid eſt tam difficile (vt inquit Heraclitus) quam obſiſtere voluptati, quæ nobiſcum nata & educata eſt?

Senſus IIII. Cap. primi Tractatus, quod incipit, Quæret autem.

AT *quæres, ſi nemo ædificat niſi qui artem tenet ædificandi, quomodo iuſtas actiones ediderit, qui nondum factus eſt iuſtus? Soluitur ratio. ſi conceſſerimus etiam eum poſſe ædificare, qui non tenet artem. Ædificat inquam, & recte ædificat; ſed non ex arte; ita & quis iuſtas faciet actiones, ſed nõ iuſte, hoc eſt ex iuſtitia. Poſſumus & negare artis virtutiſq; ſimilitudinem. Satis enim habent artifices. ſi opus recte fiat quoquo modo, id etiam ſi caſu recte fiat. At in virtutẽ non ſatis eſt, recte quippiam egiſſe, niſi ſciens, conſulto; & conſtanter id egeris.*

Senſus primi Capitis, Tractatus ſecundi, quod incipit, Poſt hæc autem.

D*Einceps virtutis inuenienda eſt definitio. Sane cum virtus non ſit affectio animi vlla, quippe cum ſit potius affectionum moderatrix: & cum non ſit vlla ex potentiis; cum tam potentiæ quam affectiones ab ipſa ſtatim natura oriantur, virtutes vero nequaquam: reliquum eſt, vt virtutem habitum eſſe dicamus: Nam palam eſt principia humanarum actionum, aut potentias, aut affectiones, aut habitus eſſe oportere.*

Sensus 11. Cap. 2. Tractatus, quod incipit, Oportet autem.

VIRTVS *inquam habitus est, qui, vt equum equiq́ opera sua virtus commendat, ita hominem actionemq́ hominis perficit & honestat. Diximus, virtutem in medio esse constitutam. Nam & hoc artium est, quæ longè sunt virtute incertiores: & difficillimum semper est, occurrere medio. In eo autem medio virtus est collocata, non quod ipsa res statuit, sed quod nos pro nostra prudentia terminamus. Nam diuersa esse hæc media, subiectio exempli declarat. Inter ii. & x. quis ignorat medium rei esse senarium? Quis item ignorat, si libra cibi superfluat mihi, vncia sit parum, non esse propter hoc à medico mihi quincuncem assignãdum? Ita fit, vt virtus sit habitus electiuus, in mediocritate consistens, quo ad nos: in mediocritate inquam propriè, ex commendatione verò in summitate. Quod si ita est sola ea sunt nacta mediocritatem, quæ possunt rectè & cum virtute committi: furtum, stuprum, homicidium, maleuolentia, & huiusmodi, mediocritatem non recipiunt, quia committi sine peccato nõ possunt.*

Sensus primi Capitis, Tractatus tertij, quod incipit, Oportet autem non solum.

V*Niuersalem autem hanc definitionem si ad particulares virtutes acõmodauerimus (nam actiones particularium sunt) certius efficiemus id de quo nunc agitur. Circa timores igitur mediocritas est fortitudo, excessus temeritas, defectus timiditas. Circa dolorem voluptatemq́ cibi, potus, venereorum: temperantia, intemperantia, insensibilitas. Circa rerum mediocrium erogationem, liberalitas, prodigalitas, auaritia.*

Circa

Circa rerum magnificarum erogationem, Magnificentia, ventositas, modicitas. Circa paruorum honorum cupiditatem mediocritas, caret vocabulo: excessus, ambitio, defectus, remissio. Circa magnos honores, magnanimitas, inhiatio, pusillanimitas. Circa iram, mãsuetudo, iracundia, segnities. Circa ea quæ ad veritatem pertinent: grauitas, vanitas, ironia. Circa ea quæ in ioco versantur, comitas, scurrilitas, rusticitas. Circa ea quæ ad vitæ socialis voluptatem requiruntur, affabilitas, lasciuia, siue adulatio, morositas. Laudantur etiam affectiones nonnullæ, quia in mediocritate consistunt: vt verecundia: cuius excessus, impudentia: defectus, pauiditas, indignatio. Item affectio est laudata inter inuidiã, & peruersum de malis alienis gaudium, in medio constituta. De iustitia verò duobus generibus, & reliquis intellectualibus virtutibus suo loco dicemus.

Sensus secundi Capitis; Tractatus tertij, quod incipit, Tribus autem dispositionibus.

C v m *autem virtus defectui comparata, excessus habeat rationem: comparata excessui, defectus esse videatur: iure optimo vtrique extremitati cognoscitur esse contraria. Sed extremitates inter se quia plus distant, magis etiam contrariantur. Verùm defectus aliquando sunt virtuti similiores, quàm excessus, vt in temperantia: aliquãdo excessus ad mediocritatem magis videntur accedere, vt in fortitudine: sumus & nos interdum huius rei causa. Cum enim homo simulatque nascitur, ad voluptatem sit procliuis, necesse est vt virtuti, quæ nos à voluptatibus reuocat, intemperantia sit maximè contraria.*

Caput tertium, Tractatus tertij, quod incipit, Quoniam quidem igitur.

ITA *tenebimus mediocritatem, si primùm à vitio magis contrario declinabimus; & extra fumum & fluctum, vt Calypso apud Homerum monuit, nauim adigamus. Deinde, si ad eius labis contrariũ, ad quam natura proni fuerimus, nos accommodabimus. Postremò, si voluptatem vt scopulum, vtq́ apud Troiam seniores Helenæ aspectum, euitabimus: satisq́ habituri sumus, si à mediocritate saltem non multum abesse videbimur.*

SECVNDI LIBRI.

FINIS.

HERMOLAVS BARBARVS DOMINO SVO PRAEsuli humaniss. P. Foscaro, S. P. D.

LIBER AD TE DE MORIbus tertius venit. Quod munus fortasse accommodatius tempori extitisset, si dilatum fuisset ad paucos dies, in quibus sanctimoniæ & moribus, vt nosti, diligentius vacare oportebit. Sed me, vt verum fatear, quanquam video non esse dignam philosophia nostra sententiam, eadem ratio mouere potuit ad properandum, quæ eos etiam mouere solet, qui carnibus eo tempore abstinēt, quo cæteris pene concessum est bacchanalia viuere, vt ait poëta ille: eo sanè consilio, vt cæteros religione, castitate, fide præstare videantur. Sed tu puta dictum ioco. Soleo enim pro tua erga me facilitate, hoc loquēdi genus sæpissime vsurpare, quod etiam feci in superiore epistola, cum de ranis loqueremur. Vale, IIII. Calend. Febr. M. CCCC. LXXIIII.

Primum Caput tertii libri Ethicorum.

CVm solas eas actiones quæ voluntariæ sunt, aut laus, aut vituperatio consequatur: definiendum est quid voluntarium sit, quid inuoluntarium. Inuolũtariam dicimus actionẽ, si quis me manibus pedibusq; ligatus inuitum trahat: vi ergo facta actio est, cuius est externa causa, ea re cui vis infertur nihil conferẽte. Si autem metu pœnarum quid agatur, partim voluntaria est actio, quia tunc cum agitur, positum est in agentis potestate: partim inuolũtaria, quia si nusquã referas, sed simpliciter loquaris, nemo spõte id faceret, ad quod metus impellit. Quod si non aliter proposita impunitas fuerit, nisi turpissimum aliquid committas, moriẽdum est potius. Quod si id egeris quod turpe quidem sit, sed quod si detrectasses, fueras extrema perpessurus suppli cia, veniam vt te consequi æquum sit, ratio ipsa demon strat, imò etiam euitandæ maximæ calamitatis causa parumper delinquere, laudis est.

De inuoluntario, per ignorantiam.

AD eas autem actiones, quarum ignorantia est causa, si ita sis affectus, vt posteà quàm resciueris (verbi causa) te ex ignorantia plumbum accepisse, ratus argentum esse, pœniteat accepisse, inuoluntarias esse certissimum est. Si verò non pœniteat, appellaueris rectè nõvoluntarias. At praui, ebrij, flagitiosi, agũtne ex ignorantia? Nequaquam: sed ignorantes. Quidni? Quia malus omnis tum cum agit, arbitratur id bonum esse quod agit. Quo fit, vt ignorantia non præcedat, sed concomitetur peccatũ. Sed claudere possumus, inuitos eos agere, qui aut personam agẽtis, aut id quod agitur: aut id esse quod, aut propter quid, aut quo modo, aut

quo loco, aut quo tempore, aut quibus auxiliis agatur, ignorant. Quare cùm inuoluntarium omne aut ex vi, aut ignorantia nascatur: consequens est, vt voluntariæ actiones sint illæ quarũ internæ sunt causæ, eo qui agit sciente circunstantiarum vnamquanq;.

Sensu II. Capitis I. Tractatus, quod incipit, Determinatur autem voluntario.

ACTIONES *cùm ex nostra pendeant electione, sequens est, vt de electione dicatur. Est quidem electio voluntarium quid, vt satis liquet. Neq; rectè sentiunt, qui concupiscentiã aut irã esse arbitrantur, cùm illa nobiscum communia sint etiam beluis, hæc solum hominem spectet. Neq; illi quoq; rectè, qui volũtatem putãt esse. Volumus enim ea quæ factu impossibilia sunt, eligimus tantum possibilia. Atqui opinionẽ dicũt, nónne in eo falluntur, quòd cùm opinio circa res versetur æternas, non vident electionẽ ad res pertinere in nostra potestate collocatas? Qui si non omnem opinionẽ, sed eam quæ de iis rebus duntaxat habeatur, quæ per nos aguntur, electionem existimant, quomodo non aduertũt illa non esse eadem, quorum diuersæ sunt perfectiones? Atqui laus omnis electionis in recta actione, opinionis in veritate cõsistit. Est ergo electio voluntaria quidẽ res, sed quam consultatio antecessit. Idcirco carere dicuntur electione, quæ repente fiunt, id est inconsultó.*

Sensus III. Capitis I. Tract. quod incipit, Conciliantur autem, &c.

AT *quæres, quid sit id, de quo cõsultatio habeatur? Sanè non æterna, non immutabilia, non naturalia, non fortuita, nõ longinqua, non illæ actiones quæ certæ quarundam sunt artium. Nam de scribendi ratione nemo consultat: plerique de nauigandi, medendi, negotiandi,*

quia sunt incertissima. Incerta ergo, addo etiam magna (sordidi enim est deliberare de minimis) in consultatione cadunt. Sed finis propter quem agis, nõ cadit (sumitur namq; & proponitur tanquam principiũ) sed ea quæ ad finem dirigũtur. Circa hæc, siue duo, siue plura sint, labor est: quod resoluendo ad eã cogitationem veniamus, à qua quãquam est postremò repertã, incipiat tamẽ omnis nostra ad finem actio proficisci. Ita inuentis rationibus omnibus, finis imponitur consultationi: Eadẽ ergo sunt electioni & consultationi subiecta. Sed electio est affectatio eius de quo habita est consultatio.

Sensus IIII. Cap. primi Tract. quod incipit, Voluntas quidem.

VOLVNTAS *verò à fine potius feritur. Finẽ autem hunc qui per se honestum putant, errare videntur in eo quia nesciunt fines etiam inhonestos amari. Qui verò non per se honestum, sed apparentem credunt, falluntur in eo quod sequitur, nullũ futurũ esse naturale voluntatis obiectum: æquè ac nullum foret naturale visus obiectum, si non ipse color, sed quod cuiq; color appareret, oculos ferire diceretur. Quo fit, vt obiectum quod principale voluntatis, sit per se honestũ, quale studiosi appetũt. Sed consequens sit, apparens honestum, quale flagitiosi concupiscunt. Quemadmodum enim ea quæ verè dulcia sunt, à benevalentibus dulcia sentiũtur, ab ægris amara existimantur: ita honestum quod est, studioso videtur honestum esse, flagitioso contrarium.*

Sensus V. capitis, Tract. primi, quod incipit, Existente vtique voluntabili.

ACTIONES *itaque quæ consultationem electionemq; consequuntur, quia voluntariæ sunt, efficiunt etiam voluntarios habitus. Quamuis enim sit nemo felix*

lix inuitus, fiunt tamẽ homines sponte flagitiosi. Nam cur si aliqua cupiditate cõcitatus peccas, si ex iuris apertissimi ignorantia contra legem committis, luenda esset tibi pœna, si coactus delinques? Cur etiam si per ebrietatem parricidium perpetrasti, si eius ignorantiæ quæ secuta est ebrietatem, causa ipse non fuisti? Sanè appetitus, quamuis ex sua cuiusq; naturæ varietate, hũmorumq; complexu variè afficiat singulos, paret tamẽ rationi cùm vult. Vnde & primæ concitationes neque omnibus eadem, neq; voluntariæ sunt. Sed quæ ex habitu proficiscuntur, ita in potestate nostra videntur esse, vt habitus: habitus verò quis neget esse voluntarios, si actiones habituum effectrices voluntariæ esse intelliguntur? Nam qui virtutem voluntariam esse concedũt, vitium negant, rationi pugnant: cùm necesse sit, circa eandem naturã versari contraria. Sed actiones quidẽ semper, habitus verò initio dũtaxat in nostra potestate sunt: sicut ægrotationes, in quas nostra causa currimus.

Sensus 1. Cap. 2. Tractatus, quod incipit, Quoniam quidem igitur medietas de fortitudine.

N*Vnc ad particulariores virtutum explicationes transeamus. Fortitudinis, circa quã versatur, materia sunt terribilia. Non dico egestatem, exiliũ, inimicitias, morbos, infamiam: (quæ qui contemnit, nondum tamẽ est fortis, quanquam potest in iis perferendis animi inuicti magnitudo elucere) sed ea dixerim terribilia, quæ maximè terrent: qualis est mors, atque ea quidẽ non omnis, sed quæ in bello pro communi vtilitate suscipitur. Sunt enim & maxima, & repentina belli discrimina: quæ qui magno animo, atque intrepido subit, inuictissimus & fortissimus ritè haberi solet.*

Sensus

Sensus II. Capitis, 2. Tractatus, quod incipit, Terribile autem non omnibus, &c.

TERRIBILE *autem quia duplex est: aut enim hominis facultatem excedit, quod nō timere insipientis est: aut par est hominis viribus: id si quis honesti finis causa subit, eoq; modo & ordine, quo oportet, forti animo est, & excelso. Porrò qui sine vlla prorsus est trepidatione, quia pauci sunt generis huius, carere etiam vocabulo debuit: sed appelletur impauidus. Qui verò audēdo peccat, excessu audax dicitur. Is ita simulator est fortitudinis, vt ea pericula quæ parui fecisset absentia, præsentia perhorrescat. Qui autem metuendo excedit: meticulosus is, quanquam audendo deficit, dicitur tamen timoris excessu peccare: quia notior est excessus, quàm defectus. Desperat item meticulosus semper, audax cōtrà, vana spe alitur: fortis, mediocritatem inter hæc omnia & dignitatem seruat. Item audax ferox est ante pericula, in periculis stupet: fortis ante pericula quietus, in periculis feruet. Sed nunquid euitandæ alicuius molestiæ causa mortem sibi ipsis consciuerunt, fortes appellamus? Minimè: quando nō honestatis, sed deuitandi mali gratia mortem susceperunt.*

Sensus III. Capitis, 2. Tractatus, quod incipit, Dicuntur autem & aliæ

SVNT *& quædam fortitudines, veræ quàm simillimæ: harum quinq; sunt genera, prima ciuium est, quos vel honorum cupiditas, vel repulsarum metus, vel supplicij timor, vel loci necessitas fortissimos facit. Secunda est, eorum qui ob rei militaris peritiā pericula magna aggrediuntur: sed ciuilis fortitudo præstantior. Statim enim vt peritiam cœpere pericula excedere, milites deserunt. Ciues contrà, vitæ turpi mortem gloriosam ante ponunt*

ponunt. Tertia est ferarum, quas ira & furor impetuosas facit: estq; hæc fortitudo maxime naturalis. Quòd si furor ad electionem accesserit, manabunt mirabiles veræ fortitudinis actiones. Quarta, eorum qui ex sua fortunæ fiducia, & vincendi consuetudine, adire pericula magno animo solent. Quinta, eorum qui nulla extimatione periculi habita, sed ignorãtia fortes vidẽtur esse. Atq; hi postquam animaduertunt aliud esse, quàm putarant; fugam arripiunt.

Sensus I I I. Cap. 2. Tractatus, quod incipit, Circa audaciam & timores.

SED est vera fortitudinis proprium, sustinere potius pericula, quàm aggredi: hoc est timori resistere, quàm audacem esse. Sustinemus enim superiorẽ, aggredimur parem, vel inferiorem. Atqui difficilius est sustinere superiorem. Item dolorẽ tolerare, quàm gaudere. Quis enim gaudeat inter vulnera, cruciatus, mortem? quæ eo grauior esse debet viro forti, quo pluribus virtutibus pollet, & quo maiora vitæ commoda amittit ex morte: est tamen nihilominus fortis, imò & fortior. Aliquantum etiam gaudet ob eum finẽ virtutis, quem moriẽdo videtur attingere. Militum verò eo vilior est habenda conditio, quò minoribus & paucioribus bonis ex morte priuantur.

Sensus I. Cap. Tract. 3. quod incipit, Post hæc de temperantia.

TEmperantiæ verò materia, circa quam versatur, sunt dolor & voluptas: sed voluptas potior, quia dolor oritur ex voluptatis absentia. Voluptas autem nõ omnis est materia: nõ enim ea quæ est animi, sed corporea. Atq; ea quoq; non omnis: quando neq; is qui pictura, neque is qui cantu nimium oblectatur, dici solet

intem

intemperatus: neq; qui olfaciendo, aut gustando, nisi fortè per accidens, ex eo videlicet, quod ex odore eduliorum sapor, qui omnis ad gustum pertinet, percipiatur. Voluptas verò quæ nascitur ex sapore, tota pendet ex tactu. Quo fit, vt cùm vna sit nobis reliqua voluptas hæc quæ tangendo fit, temperati sint qui ea rectè vtuntur: intemperati, qui non rectè: vtiq; quàm simillimi belluis, quibus est nobiscum vsus tangendi communis. Porrò non omnis tactus est vitij capax, sed quarundã duntaxat corporis partium.

Sensus 11. Cap. Tractatus 3. quod incipit, Concupiscentiarum hæc quidem communes.

CVM *verò duplex sit naturalis cupiditas, vna communis, altera singulorum: communis, vt si esurias, cibi & potus: singulorum, huius cibi, huius potus. Qui in cõmuni cupiditate peccant, in vna re tantum peccant, quia plus quàm natura sit satis, accipiunt. Qui verò in propria cupiditate delinquũt, errare multifariã possunt: puta si plus, si minus accipiãt, si alio tempore, alio loco, alio modo quàm oporteat. Sed fortis quidẽ in dolore malorum præsentium tolerando versatur: temperans verò, eo modo in dolore versatur, vt rei voluptuosæ absentiam minime doleat: intemperatus, doleat. Quo fit, vt hic, quia semper cõcupiscit, semperq; aliquid abest, in dolore sit semper. Qui verò a voluptatibus omnis generis est alienus, quia & rara est hac auis & à natura multum recedit, humana nuncupatione caruit, nisi insensibilem velimus appellare. Temperans autem is est qui voluptatibus præsentibus abstinet, absentes non concupiscit: qui sequitur eas, quæ aut ad corporis bonam valetudinem faciunt, aut non aduersantur: demũ*

eas

eas omnes amplectitur, quæ salua honestate non excedunt facultates.

Sensus III. Cap. 3. Tractatus, quod incipit, Voluntario autem magis.

INTEMPERANTIA *autẽ, quia circa voluptates consistit, quas homines sponte persequuntur, vitium erit magis voluntarium, quàm timiditas, quam circa dolorẽ esse probauimus. A dolore nanque abhorret vniuscuiusque natura, tanquam à labefactore. Quare erit intẽperantia vituperatione, quàm timiditas dignior. Est & illud scitu perdignum, Vniuersalia pericula magis voluntaria esse quam particularia. Quis enim nõ minus pertimescat hostes, quàm hos hostes, qui telis infestis irruunt? E contrario, magis voluntarias esse libidines particulares, quàm vniuersales? Cùm is qui nunc esse vult libidinosus, nolit tamen esse simpliciter libidinosus. Rectè etiã pueri intemperati, incastigatique appellantur: quasi & libidinoso, & puero, castigatione sit opus. Cum enim insatiabilis sit vtriusque appetitus, si euagari liberè permittantur, excrescet ex frequenti actione cupiditas, & affectus vehemens mẽtem ipsam de sede sua turbabit. Quare vt pueri pædagogo, ita intemperati ratione sunt comprimendi.*

LIBRI TERTII. FINIS.

EPITOME.

HERMOLAVS P. FOscaro suo Domino, S. P. D.

HABES QVARTVM volumen compendio coarctatum. In quo legendo facilè te ipsum, laudésque tuas recognosces. Est enim totus hic liber tuarum virtutum tanquam index. Nam de liberalitate, quæ benignitas dici rectè potest, & magnitudine animi, mãsuetudine præterea, grauitate, vrbanitate, comitate, affabilitate, modestia, abunde hîc agitur. Quæ virtutes, vt omnes intelligũt, veluti peculiaria ornamenta in te vno præcipuè & consummatissimè conspiciuntur. Quamuisque cæteris quoque laudibus fortitudinis, temperantiæ, sapientiæ, religionis, minimè careas: in patentissimo tamen præconiorum tuorum campo primum locum obtinere videtur illæ virtutes, quæ ad morum facilitatem, & societatis humanæ necessitudinem pertinent. Valeat T.R.D. Idib. Martiis. M. CCCC. LXXV.

Sens

Sensus primi Cap. primi Tractatus quarti libri Ethicorum, quod incipit, Dicamus autem deinceps de liberalitate.

Nunc de liberalitate agamus. Ea est, circa pecuniariam rem laudata mediocritas, in erogatione, acceptationeq́; constituta: dando tamen potius, quàm acceptando perspicitur. Nam virtuti plus congruit benefacere, quàm bene perpeti. Sanè necessarium est, eum qui liberaliter agit, & rectè, & cum voluptate id facere: acceptioni verò ita modum adhibere, vt erogãdi aliis gratia accipere videatur: Vnde fit, vt liberales ditari minimè possint, minimeq́; velint: sed pauca sibi reliqua efficiant, cætera distribuant: habeant tamen & personarũ delectũ, & rationẽ facultatum minimè negligãt. Est enim habitus ipse, qui facit, liberales vt simus: non munerũ multitudo. Id autẽ plurimũ euenit, vt liberaliores sint, qui à parentibus parta iure hæreditario suscepere, quàm qui suis laboribus locupletati sunt. Illud verissimũ est, solere plus angi liberalem, si necessariò sumptui pepercisse videatur, quàm si quid inconsultè profundat. Prodigus nimius est in expendendo, in accipiẽdo retinendoq́; negligentissimus: auarus contrà nimius est in accipiendo & retinendo, in expendendo vel in minimis quibusq́; parcissimus. Minus tamẽ peccare videtur prodigus, quàm auarus: idq́; vitium solet plerunque à senectute & egestate tolli, vel minui. E diuerso, auaritia perniciosior: fit enim in dies obstinatior, crescitq́; iisdem illis ex causis, quæ prodigalitati medentur. Est autẽ prodigalitatis genus aliud cũ auaritia, luxuriaq́; coniunctum. Plerunque enim euenit, vt is qui temerariè largiẽdo dilapidat opes suas, indiscretè iacturis alienis locupletari velit, quo & ad histrio-

nes, scurras, & adulatores educandos, & alendas suas fœdissimas voluptates suppetat copia. Auaritiæ quoque multa sunt genera: alij nanque parci cum sint, & tenacissimi solum hoc agunt, ne quid de re minuatur sua: alienis tamen abstinent aut quia turpe id esse arbitrantur, aut quia verentur ne sit difficile aliena contrectare, & tueri sua. Alij contrà nulla turpitudine deterrentur, quò rem suam meliorem faciant, & ampliorem. In quo numero sunt lenones, fœneratores, aleatores, latrones, piratæ, sepulchrorum violatores, & huiusmodi generis homines sordidissimi.

Sensus Cap. 2. primi Tract. quod incipit, Videbitur autem &c.

AT *magnificentia virtus quidem est ad erogandas pecunias, vt liberalitas, instituta: sed operibus & sumptibus excellentiam quandam & magnitudinem adhibet. Magnificus ergo non id quærit, vt quàm minimis potius sumptibus opera consummentur, quàm vt magnificentissima & pretiosissima efficiantur. Est enim necessarium, vt pretiosa sint, & suapte natura conuertant conspectantium oculos in admirationem. Conspicitur autem in iis operibus magnificentia, quæ ad deorum aut Reipub. ornamentum pertinent. Hæc autem quia tenuiores minimè possunt præstare, magnificis esse non licet: magisque virtus hæc ad eos homines attinet, qui diuitiis genus & gloriam adiecerunt. Sed & in iis quoque magnificum esse oportet, quæ (vt nuptiæ) fieri semel in vita consueuere. In hospitalitatibus item, atque iis temporibus quibus dimittendi cum muneribus peregrini sunt, solet is plurimum videri magnificus, qui maximo studio in eam curam incumbit, vt omnia cum nitore, elegantia, & copia exhibeantur. Domus quoque splendidissima esse debet eius hominis, qui nulla in re videri*

vult

vult sordidus. Ventosum dicimus, qui excessu peccat. Is aut paruis in rebus multa cõsumit, aut in magnis & excellentibus pauca. Modicus contrà defectu laborat, atque ita laborat, vt inchoata opera metu expensarum semper deses, semper querulus deserat. Et quidẽ vterq; in vitio. Quia tamen haud multum nocẽt mortalibus, minus vituperandi sunt, quia etiam carent infamia.

Sensus 1. Cap. 2. Tractatus, quod incipit, Magnanimitas.

Magnanimitas verò circa magnos versatur & excellentes honores, vtpote circa eam rem quæ bona fortunæ reliqua, & præstantia, & dignitate, & clarorum hominum opinione antecedit. His autem honoribus quos vir magnanimus appetit, etiam dignissimum esse oportet. Quare optimus quoque sit, est necesse. Nam si maximis honoribus se dignum rectè putat, maximis verò nulli maiores esse possunt, erit vt etiam sit virtutibus omnibus præditus: & quod sequens est, optimus. Alioquin maioribus dignus is esset, qui pluribus virtutibus esset illustratus. Honores itaq; maximos ita suscipiet, vt minores tamen esse meritis suis, atque impares arbitretur: exiguos aspernabitur: Sanè eodem pacto circa diuitiarũ despicietiã erit affectus: vtrãq; fortunam moderatè & sapienter feret, pericula adibit permaxima, vitæ nõ parcet, inuitus & cum pudore beneficio afficietur: magnus inter magnos, cum reliquo genere modestissimus haberi & esse volet: maturus præterea, grauis, apertus, verax, liber, ab assẽtationibus abhorrentissimus: nullius rei admirator, immemor iniuriarum: parcus, rarusq; laudator: nunquam maledicus: incessu item lento, & voce graui, sermone constanti. Qui deficit, pusillanimus: qui excedit, inhiator, & in-

flatus dicitur. Pusillanimi in eo peccant, quòd se cum digni existant, indignos honoribus arbitrantur, ex qua opinione, virtutis honestissimæ actiones sæpissimè deseruntur. Inflati ex ea dementia afficiuntur, quòd cum seipsos non cognoscant, faciunt se maioribus dignos, quàm aut ratio, aut æquitas postulat. Quare magnanimo plus aduersatur pusillanimus, quàm inflatus.

Sensus 11. Cap. Tract. 2. quod incipit, Videtur & circa hunc.

EST *& circa mediocres honores virtus quædã: quæ quia caret nomine, fit vt eorum qui in extremis sunt regionibus constituti, plerunque ita fiat mẽtio, vt esse videantur in medio collocati. Remissus enim, quia defectu peccat, aspernatur honores, ambitiosus, quia excessu cupiditatis affligitur, anxiè petit. Is qui mediũ locũ obtinet, ratione postulãte petit, & aspernatur. Quamobrem vtriusque videtur particeps esse naturæ.*

Sensus 1. Cap. Tractatus 3. quod incipit, Mansuetudo autem est quædam.

M*Ansuetudinem verò mediocritatẽ eius affectionis dicimus, quæ ira nuncupatur. Quid enim aliud est mansuetũ esse, quàm ea animi perturbatione carere, in qua homines furore animi perciti nihil considerate, nihil constanter aggrediũtur? Hi iracũdi cùm sint, peccant excessu. Qui verò nunquam irascũtur, ex defectu, confestim vituperandi sunt. Nihil enim demẽtius est, quàm non irasci, quando est opus: si vis vi repellẽda est, si patris caput, si filij salus, si vxoris pudicitia defendenda, vindicare est necesse. Vindicare autẽ quis rectè, sine iræ vestigio vllo potest? At iracundiæ multa sunt genera: alij enim simulatq; irascuntur, euaporato veluti ardore mansuescunt, vt biliosi. Alij contrà, cũ*

diuturna iracundia affliguntur, nunquã nisi reposita vindicta molliuntur. Est & tertium genus eorum pessimum, qui sine causa cùm irascantur, iracundiam non solùm diu retinent, sed consultò: Quapropter ij qui in excessu sunt habitus, mãsuetudini magis aduersantur. Est enim prona ad vindictam natura mortalium, & molestissima esse solet consuetudo iracundorum.

Sensus primi Capitis, Tractatus quarti, qui incipit, In colloquiis autem.

E*St & circa eam voluptatem, quæ in sermonum totiusq; vitæ communicatione percipitur necessaria maximè virtus affabilitatis: quæ solet etiam amicitia appellari: non ea quæ inter duos cõtrahitur, sed ea humanitas, qua cum omnibus vel ignotis uti solemus. Pertinet autem ad hanc virtutem, admonere interdum, interdum etiã castigare eos, qui turpiter aliquid aut faciunt, aut loquũtur. Adhibebit tamẽ hanc diligentiã, vt aliter cum necessariis, aliter cum amicis, aliter cum peregrinis, aliter cum magistratibus conuersetur affabilis. Qui verò vt placeat omnibus, nullã habet dignitatis rationem, lasciuus dicitur: aut si lucrandi gratia faciat, adulator. In defectu est litigiosus, cõtentiosusq;. Quippe qui nihil aliud cogitet, quàm inferre molestiã iis quibuscum versatur.*

Sensus secundi Capitis, Tractatus quarti, quod incipit, Circa eadem ferè est.

EA *autem quæ circa dicti factiq; veritatem virtus est, grauitas dicitur, inter ironiam ostentationẽq; constituta. Ita qui in extremis duobus sunt, mẽtiantur est necesse. Irones enim minora quàm sint effingunt, ostentatores maiora: vir grauis veritatem aperit, explicat*

omnia dicta & facta, vt dicta & facta sunt. Quòd si magnæ alicuius vtilitatis gratia mentiendum est viro graui & sapienti, ad ironiam potius quàm ad ostentationem est inclinandum: onerosi nanque excessus sunt, & exuperantiæ odiosæ. Mentiuntur autem alij nullius finis gratia, nisi vnã tantum ob rem, quia mẽdacio gaudẽt, & ipsa illa ostẽtatione: ijq; vani sunt potius quàm improbi existimandi: alij ob honoris & gloriæ cupiditatem: atque ij cùm rem præstantissimam appetant, minus in vitio sunt. Nonnulli pecuniæ spe mouentur ad mentiendum: horum genus est deterrimum. Et ij quidem qui honoris appetentes sunt, ea fingent ex quibus laudari, aut felices credi posse videãtur. Qui verò ad lucrum referunt ostentationem, ea simulant quæ facilè dignosci ab omnibus nequeant: cuius generis sunt medici, & aruspices. Sed ironia vtuntur alij in rerum admirabilium, doctrinæ, ingenij, sapiẽtiæ inficiatione: vt Socrates faciebat: alij in minuẽdo eas res, attenuãdoq; quas & ipsi in se esse vilissimas sentiunt, & nemini sunt obscuræ: ij facilè contemnuntur: nam defectus nimius, & immodica attenuatio, excessus habet rationem, vt vestis Lacedæmoniorum.

Sensus III. Cap. Tractatus 4. quod incipit, Existente autem requie.

EST *& circa sales iocosq; virtus quædam, quæ comitas appellatur: nam indiscretè omnia ad iocum risumq; traducere, scurrilitatis est: cõtra rusticitatis, iocosas cõfabulationes perhorrescere. Sed quia ad risum fermè omnes proni sunt, & aliena conuitia libenter audiuntur, nonnullis scurræ videntur comites esse, sed lõgè distant. Est enim comitas in iocis liberalibus dicundis, audiẽdisq; modesta & decora dexteritas. Mordacibus item*

item salibus vti decet, non iis quibus extimatio vllius aut minui aut lædi possit, sed iis qui nulla lege prohibẽtur. Scurram autem eum accipimus, qui vt risum cõcitet, neque sibi, neque aliis parcit. Agrestẽ eum, qui ad hæc cùm prorsus inutilis sit, semper molestus & tristis est. Sed quis ignorat, in vita necessariam esse laboris intermissionem & & requiem?

Sensus Capitis primi, & vnici, Tractatus quinti & vltimi, qui incipit, De verecundia autem vt quadam virtute, non contingit dicere.

VErecundia verò mediocritas quidem laudabilis est, non tamen virtus: sicut neque continentia, de qua dicetur inferius. Verecundia autem cũ nihil aliud sit quàm dedecoris timor, affectio sit est necesse: est enim timor omnis, affectio. Sanè decet adolescentẽ erubescere, senẽ & studiosum non decet: neuter enim debet id committere, vt sit erubescendum. Nisi fortè pertinere verecundiam ad senem & studiosum ea conditione velimus, vt vtrique si deliquerint, erubescendum sit. Neque rectè dicunt rationem secundam, qui putãt idcirco verecundiam esse virtutem, quia sit vitium, esse inuerecundum. Est enim vt inuerecundia, ita & verecũdia ob rem turpem: studiosus ergo non potest verecundus esse; cùm à turpibus abstineat.

LIBRI QVARTI FINIS.

HERMOLAVS BARBARVS P. FOSCARO, S. P. D.

EDITIONEM QVINTI huius, præſul humaniſsime, occupatiunculæ quædam vrgentiores retardauerunt. Quæ negligentia ſi iniuſtitiam aliquam præ ſe fert, præ ſe fert autem, quia officij dilatio genus eſt iniuſtitiæ quoddam: quanquàm minimè committi debuit, in eo præſertim volumine, in quo de iuſtitia agebatur. Quia tamen ſextus iam Liber ad te feſtinat, poterit recompēſatione excuſari. Futurus eſt itaque propediē Sextus domi tuæ hoſpes, vt recenti hac celeritate perterritus, prioris tarditatis æquiſsimus alioquin, clementiſsimúſque cùm ſis, facillimè obliuiſcaris. Vale. Paduæ, XII. Calendas Maij. M. CCCC. LXXV.

EPITOME LIBRI QVINTI ETHICORVM ARIST.

Sensus primi Capitis, prmi Tractatus quod incipit, Feliciter, &c.

Reliquum nũc est, vt de iustitia agatur. Ea est habitus, quo homines ad iustè agendum inclinati & iusta agunt, & volunt. Cùm autem iniustus multifariam esse possit, iustus quoque totidem appellabitur modis. Quare iniustus cùm sit qui contra leges facit, item qui bonorm fortunæ plus appetens est, item qui malorum particeps esse non vult: necessariũ est, vt qui secundum leges viuit, item qui æquali portione tam bonorũ quàm malorum contentus est, iustus esse videatur: is autem iustus, qui secundum leges viuit, ea iura constituit, quæ indicat & ad suæ reipub. vtilitatem, & ad ciuilis societatis beatitudinem conseruandam pertinere. Lex verò ea omnia præcipit, quæ possunt esse humanæ vitæ ornamento. Nam & imbelles punit, intemperatos coercet, cohibet iracundos, vitia demũ omnia acriter insequitur, virtuti præmia amplissima statuit: vnde fit, vt hæc iustitia clarissima & præstantissima sit virtutum omnium, cùm cæteras virtutum omniũ actiones amplectatur. Non enim nobiscum solùm, sed cum altero quoque potius esse iusti possumus. In cæteris verò virtutibus euenit, vt ad nostram vtilitatem duntaxat eas actiones exerceamus. Quo fit, vt iustitia alienum bonum in prouerbio appelletur. Erit ergo iustitia virtus, totam virtutem amplexa: iniustitia è diuerso, habitus vitiis omnibus coinquinatus. Sed hoc differt à virtute iustitia, quoniam iustitia respicit alterum, virtus refertur ad neminem.

Sensus II. Capitis, I. Tract. quod incipit, Quærimus.

EST & alia particularis iustitia, quæ sub ea de qua suprà diximus, legitima scilicet iustitia cõtinetur. Ea est habitus quidã particularis, vt reliquæ virtutes quo re sua cõtentus est vnusquisq; & lucri & damni æqualitate. Cõtrarius habitus est, quo quis exterioribus cõmodis abundare, & incommodis vacare præter æqualitatem studet. Quare quãquam generalis illa, & particularis hæc iustitia versetur circa alterius vtilitatẽ: differunt tamen eo, quod generalis illius iustitiæ materia virtutẽ vniuersam amplectitur: huius, quia particularis est virtus, materia etiã est particularis, spectatq; propriam alicuius vtilitatem. Huius duæ sunt species, vna in honoris, pecuniæq; communis commodi atque incommodi distributione consistit: altera in commerciis. Commerciorum duo sunt genera: voluntariorum, vt emptio, venditio: inuoluntariorum, atque horũ alia occulta, vt furtum, adulteriũ: alia manifesta & violẽta, vt verberatio, rapina, depopulatio, insectatio.

Sensus III. Cap. I. Tractatus, quod incipit, Quia autem & iniustus.

CVM ergo iniustum omne sit inæquale, erit iustum omne inter plus & minus medium quoddam in æqualitate constitutum. Quare, quia æqualitas minimum est in duobus, & iustũ exerceri nisi inter plureis nequit, cõsequẽs est, vt ea quã distributiua iustitia seruat mediocritatem, cõstet & rerum distribuendarum, & personarum quibus distribuendum est, proportione. Quare si quantum persona personam superat, tantum res rem superauerit, recta erit distributio, geometrica proportionalitate seruata. Quam si spreueris, oriri videbimus

mus ciuiles dissensiones. Non solùm autem in numeris, sed in iis quæ numerantur, reperitur proportionalitas. Huius duæ sunt species: disiuncta, vt ea quæ quatuor vtitur terminis: cõtinua, vt ea quæ tribus. Iustũ distributiuum in disiuncta consistit. Ita cùm videris, talem esse rei ad rem, qualis est personæ ad personam, proportio: etiam promiscuè reperies, talem esse rei vnius ad personam vnam, qualis est rei alterius ad alteram proportio. Quinimo etiam hoc modo quadrabit: vt qualis est singularum personarum ad singulas res proportio, talis sit vtriusq; rei ad vtranq; personam.

Sensus IIII. Cap. primi Tract. quod incipit, Reliqua autem.

AT *ius quod est in cõmerciis, optimè fit per arithmeticam proportionalitatẽ, quæ quantitatis æqualitatem, non ipsarum proportionum spectat. Neque enim ratio vlla personarum haberi solet, vbi in negotiis vltro citroq; gestis æqualitas constituenda est. Nã lex delicta respicit, non delinquentes: eundemq; in modum, virum bonum si furatus est, ignominia notat, atq; si improbus fuisset. Quamobrem iudex iacturam eius qui ad iudicium profugit, cum lucro alterius recõpensat. Est enim ius medium quid inter lucrum & iacturam, iudex verò ius est animatũ. Lucrum autẽ dicitur quis facere, cum plus habet eius rei quæ ad se minimè pertinet: iacturamq; is facit, qui quod suum est, non habet.*

Sensus V. Capitis, primi Tractatus, quod incipit, Videtur autem aliquibus.

NON *rectè autem Pythagorici putauerunt, iustũ esse id quod quis repatitur, hoc est, tantum quantũ est passus, quando redditur, iustũ esse dicendũ. Non enim fas est principem cædi ab eo, qui cæsus sit à principe. Si verò*

verò ita adieceris, vt iustum illud sit, quod quis repatitur, seruata proportionum, non quantitatis æqualitate, rectè definies. Etenim humana societas, & ciuilis consuetudo officiis vltrò citroq; pro hominum cõditione reddendis maximè solet contineri. Coæquanda sunt autem contrahentium mercimonia coniugatione diametrorum, hoc modo: quòd si pretia imparia sunt, aut rerum replicatione, aut mumo qui propter hoc est adinuentus recompensare oportet. Rerum autem pretia pro modo penuriæ instituuntur. Nulla nanque fit permutatio earum rerum, quibus non egemus. Ex superioribus liquet, iustam actionẽ esse inter facere iniuriã, & pati, mediam. Est enim facere iniuriam, plus habere: pati verò, minus. Omnis autẽ virtutis actio inter plus minusq; consistit. Sed & hinc patet, iustitiam à cæteris differre virtutibus. Est enim ita in medio cõstituta, vt extremũ alterum duntaxat vitium esse videatur. Illud est iniuriam facere, quæ iniustitia dicitur: sed iniuriam pati, quod alterius est extremi, vitium esse non potest.

Sensus 1. Capitis, 2. Tractatus quod incipit,
Quia autem est iniustum facientem.

QVæritur deinceps, sitne iniustus omnis qui damnum infert? Sanè antequàm soluo, scire oportet ius politicum (de quo nunc est sermo) in vita communicatione consistere, solumq; ad homines liberos, ad æqualitatem, ad actus pertinere, vt ea quæ vsui humano esse possunt, abũdè ex ea societate subministrentur. Lex enim omnis ad liberos solùm & æquales est lata. Nam serui à dominis, & filij à parentibus, non à lege continentur: vocaturq; ius dominicum illud, hoc paternum. Nam politicum ad eos pertinet tantum, qui nocere alteri possunt: at pater & dominus, si ille filiis, hic

hic seruo, non nocent alteri: neque sibi, cùm sibi ipsi, partibusq́ suis, & rei suæ nemo nocere intelligatur. Ius autem vxorium propius ad politicum accedit; cùm maior sit inter virum & vxorem æqualitas.

Sensus II. Cap. 2. Tractatus quod incipit, Politici autem.

IVS *autem politicum, aut naturale est, aut legitimũ, siue ciuile. Naturale est, cuius eadẽ est vbiq; vis, quodq́ non ex hominum opinione, sed ex ipsa natura ortũ ducit. Legitimum est, quod tunc potestatem habere cœpit, cum est constitutum, quia nullam vim antea obtinebat. Naturale verò idcirco dicitur, nõ quòd inueniri causæ non possint, in quibus non sit ei iuri standum, sed quòd rarissimè. Sed iura ciuilia pro cuiusque loci, temporisq́ diuersitate mutantur, vt mensura & pondera. Quare non eadem apud omnes homines iura seruantur, cùm non eadem vbiq; Respub. quanquàm vna sit tantùm naturaliter optima. Sanè naturale ius & legitimum tanquã genera duo, cætera particularia iura cõplectuntur.*

Sensus III. Cap. I. Tractatus, quod incipit, Differt autem iniustificatio, & iniustum.

PORRO *iniustum ab iniuria differt, & à iusto ius: quod iniustum est, vt furtum, & verbera, etiã antequàm quis furetur, aut verberet: Iniuria est, vt verberatio, postquã verberaueris duntaxat. Eodem modo iustũ & ius differunt siue iusti actio: nam ius magis est, vt iniuriæ directio esse videatur. His ita distinctis, soluamus iam id quod suprà quæsiuimus, fierine possit, vt qui iniustè facit, id est, damnũ infert, iniuriã non dicatur intulisse? Sanè si lubens fecit, iniuriam fecisse videtur: si ignorãs, nequaquam. Est enim iniuria, voluntaria res: volun*

voluntarium autẽ id est, quod in potestate faciẽtis cernitur, quodq́; à sciente fit per se, & absq; vi vlla. Non tamen omne quod sciens quis agit, patiturue, voluntarium dicitur. Sentit enim se vnusquisque & senescentẽ, & morientem: quorum neutrum est voluntarium, aut inuoluntarium. Tripliciter ergo nocet quis alteri, aut ex ignorãtia, estq́; hoc infortunij genus quoddã: aut ex aliqua affectione vehementi, qualia sunt intẽperantiæ iracũdiæq́; peccata: aut ex electione, id est, per deliberationem, horum hominum genus inprobum & iniustum dicitur. Nam iracundiæ motus quia repente accidunt simulatq; ab altero facta est læsio, neq; electione, neq; præmeditatione videntur esse præparati: quapropter fatentur quidem, quod commiserũt iracundi, sed id se iustè fecisse suspicãtur, quasi vim vi repulisse videantur. Qui verò præmeditatam infert iniuriã negat plerunq; factum, quia cognoscit se iniustè egisse. Porrò inuoluntaria delicta, si ex ignorãtia committimus, veniam merentur: si ignorantes, non merentur. Hoc ex superioribus liquet.

Sensus IIII. Cap. 2. Tractatus, quod incipit,
Dubitabit autem vtique facientem.

EST & *ea non inutilis quæstio, vtrum quis iniuriã pati voluntariam possit: nam pœnas luere, quod est iniustum pati, sæpissimè cõtra voluntatem luentis est. Item illud quoq; manifestum est, posse euenire: vt is qui iniuste patitur, idest iacturam facit, iniuriã tamen passus non videatur. Contingit enim iacturam facere etiam, quando est nemo qui iniuriam inferat: pati tamen nemo potest iniuriam, nisi adsit illator iniuriæ. Quamobrem quum etiam illud intelligatur, eum qui vltro nocet alteri, ita demum nocere videri, si faciat cõtra eius cui*

nocet

nocet voluntatem: reliquũ est vt existimemus, neminẽ pati volũtariè iniuriã. Nam qui propter amoris vim, cupiditatẽq; potiundæ voluptatis, dilapidet opes suas, vltro quidem sibi ipsi damnũ infert, nullã tamen iniuriam patitur. Quid, non & illa pulcherrima est quæstio? Vter plus delinquat, isne qui inæqualiter distribuit, an is cui est inæqualiter distributũ? Profectò qui sibi retinet commodi minus, modestiæ nomẽ assequitur: & quod rei deest, honor recompensat. At qui pluribus commoda distributurus, inæqualiter, id est nõ seruata personarũ dignitate distribuit, in vitio est maiori. Peccat enim grauius, qui causã dat peccãdi alteri, quàm qui occasione vtitur. Procul dubio malè is sentit, qui facillimũ putat esse, ius & iniuriam facere. Quia ius & iniuriam facere nemo nisi cum habitu potest, habitus verò nequit sine difficultate & lõga exercitatione comparari. Præterea scire leges & iura, non est vti iustitia: sed præcepta ad causas particulares accommodare. Ex omnibus itaque patet, ius & iniuriam ad eosdem, ad quos commoda & incommoda, pertinere.

Sensus primi Cap. & vnici, tertij Tract. qui incipit, De epiicia verò, id est æquitate.

NVnc æquitas quæ sit definiamus. Ea est à particulari iustitia longè diuersa: fit enim quãdoque, vt laudemus id quod de bono & æquo iudicatum est: contrà vituperemus, si seuerius, id est per summum ius fuerit lata sententia. Quare continetur quidem sub naturali iure quod æquum est, sed iure legitimo distat eo, quòd æquitas statuit in iis rebus quæ a iure ciuili comprehensa non sunt: est enim natura rerum vsque adeò varia, vt lex quæ vniuersaliter cõtinere omnia nititur,

LIBRI QVARTI
EPITOME.

HERMOLAVS P. FOSCARO SVO DOMINO, S. P. D.

HABES QVARTVM volumen compendio coarctatum. In quo legendo facilè te ipsum, laudésque tuas recognosces. Est enim totus hic liber tuarum virtutum tanquam index. Nam de liberalitate, quæ benignitas dici rectè potest, & magnitudine animi, mãsuetudine præterea, grauitate, vrbanitate, comitate, affabilitate, modestia, abunde hîc agitur. Quæ virtutes, vt omnes intelligũt, veluti peculiaria ornamenta in te vno præcipuè & consummatissimè conspiciuntur. Quamuisque cæteris quoque laudibus fortitudinis, temperantiæ, sapientiæ, religionis, minimè careas: in patentissimo tamen præconiorum tuorum campo primum locum obtinere videtur illæ virtutes, quæ ad morum facilitatem, & societatis humanæ necessitudinem pertinent. Valeat T.R.D. Idib. Martiis. M. CCCC. LXXV.

Sensus primi Cap. primi Tractatus quarti libri Ethicorum, quod incipit; Dicamus autem deinceps de liberalitate.

NVnc de liberalitate agamus. Ea est, circa pecuniariam rem laudata mediocritas, in erogatione, acceptationeq; constituta: dando tamen potius, quàm acceptando perspicitur. Nam virtuti plus congruit bene facere, quàm bene perpeti. Sanè necessarium est, eum qui liberaliter agit, & rectè, & cum voluptate id facere: acceptioni verò ita modum adhibere, vt erogãdi aliis gratia accipere videatur: Vnde fit, vt liberales ditari minimè possint, minimeq; velint: sed pauca sibi reliqua efficiant, catera distribuant: habeant tamen & personarũ delectũ, & rationẽ facultatum minimè negligãt. Est enim habitus ipse, qui facit, liberales vt simus: non munerũ multitudo. Id autẽ plurimũ euenit, vt liberaliores sint, qui à parentibus parta iure hæreditario suscepere, quàm qui suis laboribus locupletati sunt. Illud verissimũ est, solere plus angi liberalem, si necessariò sumptui pepercisse videatur, quàm si quid inconsultè profundat. Prodigus nimius est in expendendo, in accipiẽdo retinendoq; negligentissimus: auarus contrà nimius est in accipiendo & retinendo, in expendendo vel in minimis quibusq; parcissimus. Minus tamẽ peccare videtur prodigus, quàm auarus: idq; vitium solet plerunque à senectute & egestate tolli, vel minui. E diuerso, auaritia perniciosior: fit enim in dies obstinatior, crescitq; iisdem illis ex causis, quæ prodigalitati medentur. Est autẽ prodigalitatis genus aliud cũ auaritia, luxuriaq; coniunctum. Plerunque enim euenit, vt is qui temerariè largiẽdo dilapidat opes suas, indiscretè iacturis alienis locupletari velit, quo & ad histrio-

nes, scurras, & adulatores educandos,& alendas suas fœdissimas voluptates suppetāt copiæ. Auaritiæ quoq; multa sunt genera: alij nanq; parci cū sint, & tenacissimi solum hoc agunt, ne quid de re minuatur sua: alienis tamē abstinēt aut quia turpe id esse arbitrantur, aut quia verētur ne sit difficile aliēa cōtrectare, & tueri sua. Alij cōtrà nulla turpitudine deterrētur, quò rē suā meliorē faciāt, & ampliorē. In quo numero sunt lenones, fœneratores, aleatores, latrones, piratæ, sepulchrorum violatores, & huiusmodi generis homines sordidissimi.

Sensus Cap. 2. primi Tract. quod incipit, Videbitur autem &c.

AT *magnificentia virtus quidem est ad erogandas pecunias, vt liberalitas, instituta: sed operibus & sumptibus excellentiam quandam & magnitudinem adhibet. Magnificus ergo non id quærit, vt quàm minimis potius sumptibus opera cōsummentur, quàm vt magnificentissima & pretiosissima efficiantur. Est enim necessarium, vt pretiosa sint, & suapte natura conuertāt conspectantium oculos in admirationem. Conspicitur autem in iis operibus magnificentia, quæ ad deorū aut Reipub. ornamentū pertinent. Hæc autem quia tenuiores minimè possunt præstare, magnificis esse non licet: magisq; virtus hæc ad eos homines attinet, qui diuitiis genus & gloriam adiecerunt. Sed & in iis quoque magnificum esse oportet, quæ (vt nuptiæ) fieri semel in vita consueuere. In hospitalitatibus item, atque iis temporibus quibus dimitendi cum muneribus peregrini sunt, solet is plurimum videri magnificus, qui maximo studio in eam curam incumbit, vt omnia cum nitore, elegantia, & copia exhibeantur. Domus quoque splendidissima esse debet eius hominis, qui nulla in re videri*

vult

vult sordidus. Ventosum dicimus, qui excessu peccat. Is aut paruis in rebus multa cõsumit, aut in magnis & excellentibus pauca. Modicus contrà defectu laborat, atque ita laborat, vt inchoata opera metu expensarum semper deses, semper querulus deserat. Et quidẽ vterq; in vitio. Quia tamen haud multum nocẽt mortalibus, minus vituperandi sunt, quia etiam carent infamia.

Sensus 1. Cap. 2. Tractatus, quod incipit, Magnanimitas.

MAgnanimitas verò circa magnos versatur & excellentes honores, vtpote circa eam rem quæ bona fortunæ reliqua, & præstantia, & dignitate, & clarorum hominum opinione antecedit. His autem honoribus quos vir magnanimus appetit, etiam dignissimum esse oportet. Quare optimus quoque sit, est necesse. Nam si maximis honoribus se dignum rectè putat, maximis verò nulli maiores esse possunt, erit vt etiam sit virtutibus omnibus præditus: & quod sequens est, optimus. Alioquin maioribus dignus is esset, qui pluribus virtutibus esset illustratus. Honores itaq; maximos ita suscipiet, vt minores tamen esse meritis suis, atque impares arbitretur: exiguos aspernabitur. Sanè eodem pacto circa diuitiarũ despiciẽtiã erit affectus: vtrãq; fortunam moderatè & sapienter feret, pericula adibit permaxima, vitæ nõ parcet, inuitus & cum pudore beneficio afficietur: magnus inter magnos, cum reliquo genere modestissimus haberi & esse volet: maturus præterea, grauis, apertus, verax, liber, ab assẽtationibus abhorrentissimus: nullius rei admirator, immemor iniuriarum: parcus, rarusq; laudator: nunquam maledicus: incessu item lento, & voce graui, sermone constanti. Qui deficit, pusillanimus: qui excedit, inhiator, & in-

flatus dicitur. Pusillanimi in eo peccant, quòd se cum digni existant, indignos honoribus arbitrantur, ex qua opinione, virtutis honestissimæ actiones sæpissimè deseruntur. Inflati ex ea dementia afficiuntur, quòd cum seipsos non cognoscant, faciunt se maioribus dignos, quàm aut ratio, aut æquitas postulat. Quare magnanimo plus aduersatur pusillanimus, quàm inflatus.

Sensus 11. Cap. Tract. 2. quod incipit,
Videtur & circa hunc.

EST *& circa mediocres honores virtus quædã: quæ quia caret nomine, fit vt eorum qui in extremis sunt regionibus constituti, plerunque ita fiat mẽtio, vt esse videantur in medio collocati. Remissus enim, quia defectu peccat, aspernatur honores, ambitiosus, quia excessu cupiditatis affligitur, anxiè petit. Is qui mediũ locũ obtinet, ratione postulãte petit, & aspernatur. Quamobrem vtriusque videtur particeps esse naturæ.*

Sensus 1. Cap. Tractatus 3. quod incipit,
Mansuetudo autem est quædam.

M*Ansuetudinem verò mediocritatẽ eius affectionis dicimus, quæ ira nuncupatur. Quid enim aliud est mansuetũ esse, quàm ea animi perturbatione carere, in qua homines furore animi perciti nihil considerate, nihil constanter aggrediũtur? Hi iracũdi cùm sint, peccant excessu. Qui verò nunquàm irascũtur, ex defectu, confestim vituperandi sunt. Nihil enim demẽtius est, quàm non irasci, quando est opus: si vis vi repellẽda est, si patris caput, si filij salus, si vxoris pudicitia defendenda, vindicare est necesse. Vindicare autẽ quis rectè, sine ira vestigio vllo potest? At iracundiæ multa sunt genera: alij enim simulatq; irascuntur, euaporato veluti ardore mansuescunt, vt biliosi. Alij contrà, cũ*

diut

diuturna iracundia affliguntur, nunquã nisi reposita vindicta molliuntur. Est & tertium genus eorum pessimum, qui sine causa cùm irascantur, iracundiam non solùm diu retinent, sed consultò. Quapropter ij qui in excessu sunt habitus, mãsuetudini magis aduersantur. Est enim prona ad vindictam natura mortalium, & molestissima esse solet consuetudo iracundorum.

Sensus primi Capitis, Tractatus quarti, qui incipit, In colloquiis autem.

EST & circa eam voluptatem, quæ in sermonum totiusq́ vitæ communicatione percipitur necessaria maximè virtus affabilitatis: quæ solet etiam amicitia appellari: non ea quæ inter duos cõtrahitur, sed ea humanitas, qua cum omnibus vel ignotis vti solemus. Pertinet autem ad hanc virtutem, admonere interdum, interdum etiã castigare eos, qui turpiter aliquid aut faciunt, aut loquũtur. Adhibebit tamẽ hanc diligentiã, vt aliter cum necessariis, aliter cum amicis, aliter cum peregrinis, aliter cum magistratibus conuersetur affabilis. Qui verò vt placeat omnibus, nullã habet dignitatis rationem, lasciuus dicitur: aut si lucrandi gratia faciat, adulator. In defectu est litigiosus, cõtentiosusq́. Quippe qui nihil aliud cogitet, quàm inferre molestiã iis quibuscum versatur.

Sensus secundi Capitis, Tractatus quarti, quod incipit, Circa eadem ferè est.

EA autem quæ circa dicti factiq́ veritatem virtus est, grauitas dicitur, inter ironiam ostentationẽq́ constituta. Ita qui in extremis duobus sunt, mẽtiantur est necesse. Irones enim minora quàm sint effingunt, ostentatores maiora: vir grauis veritatem aperit, explicat

omnia dicta & facta, vt dicta & facta sunt. Quod si magnæ alicuius vtilitatis gratia mentiendum est viro graui & sapienti, ad ironiam potius quàm ad ostentationem est inclinandum: onerosi nanque excessus sunt, & exuperantiæ odiosæ. Mentiuntur autem alij nullius finis gratia, nisi vnã tantum ob rem, quia mẽdacio gaudẽt, & ipsa illa ostẽtatione: ijq́; vani sunt potius quàm improbi existimandi: alij ob honoris & gloriæ cupiditatem: atque ij cùm rem præstantissimam appetant, minus in vitio sunt. Nonnulli pecuniæ spe mouentur ad mentiendum: horum genus est deterrimum. Et ij quidem qui honoris appetentes sunt, ea fingent ex quibus laudari, aut felices credi posse videatur. Qui verò ad lucrum referunt ostentationem, ea simulant quæ facilè dignosci ab omnibus nequeant; cuius generis sunt medici, & aruspices. Sed ironia vtuntur alij in rerum admirabilium, doctrinæ, ingenij, sapiẽtiæ inficiatione: vt Socrates faciebat: alij in minuẽdo eas res, attenuãdoq́; quas & ipsi in se esse vilissimas sentiunt, & nemini sunt obscuræ: ij facilè contemnuntur: nam defectus nimius, & immodica attenuatio, excessus habet rationem, vt vestis Lacedæmoniorum.

Sensus III. Cap. Tractatus 4. quod incipit, Existente autem requie.

EST & *circa sales iocosq́; virtus quædam, quæ comitas appellatur: nam indiscretè omnia ad iocum risumq́; traducere, scurrilitatis est: cõtra rusticitatis, iocosas cõfabulationes perhorrescere. Sed quia ad risum fermè omnes proni sunt, & aliena conuitia libenter audiuntur, nonnullis scurræ videntur comes esse, sed lõgè distant. Est enim comitas in iocis liberalibus dicundis, audiẽdisq́; modesta & decora dexteritas. Mordacibus*

item

item salibus vti decet, non iis quibus extimatio vllius aut minui aut lædi possit, sed iis qui nulla lege prohibẽtur. Scurram autem eum accipimus, qui vt risum cõcitet, neque sibi, neque aliis parcit. Agrestẽ eum, qui ad hæc cùm prorsus inutilis sit; semper molestus & tristis est. Sed quis ignorat, in vita necessariam esse laboris intermissionem & & requiem?

Sensus Capitis primi, & vnici, Tractatus quinti & vltimi, qui incipit, De verecundia autem vt quadam virtute, non contingit dicere.

VErecundia verò mediocritas quidem laudabilis est, non tamen virtus: sicut neque continentia, de qua dicetur inferius. Verecundia autem cũ nihil aliud sit quàm dedecoris timor, affectio sit est necesse: est enim timor omnis, affectio. Sanè decet adolescentẽ erubescere, senẽ & studiosum non decet: neuter enim debet id committere, vt sit erubescendum. Nisi fortè pertinere verecundiam ad senem & studiosum ea conditione velimus, vt vtrique si deliquerint, erubescendum sit. Neque rectè dicunt rationem secundam, qui putãt idcirco verecundiam esse virtutem, quia sit vitium, esse inuerecundum. Est enim vt inuerecundia, ita & verecũdia ob rem turpem: studiosus ergo non potest verecundus esse, cùm à turpibus abstineat.

LIBRI QVARTI FINIS.

EPITOME LIBRI QVINTI ETHICORVM ARIST.

Sensus primi Capitis, prmi Tractatus quod incipit, Feliciter, &c.

Reliquum nũc est, vt de iustitia agatur. Ea est habitus, quo homines ad iustè agendum inclinati & iusta agunt, & volunt. Cùm autem iniustus multifariam esse possit, iustus quoque totidem appellabitur modis. Quare iniustus cùm sit qui contra leges facit, item qui bonorm fortunæ plus appetens est, item qui malorum particeps esse non vult: necessariũ est, vt qui secundum leges viuit, item qui æquali portione tam bonorũ quàm malorum contentus est, iustus esse videatur: is autem iustus, qui secundum leges viuit, ea iura constituit, quæ iudicat & ad suæ reipub. vtilitatem, & ad ciuilis societatis beatitudinem conseruandam pertinere. Lex verò ea omnia præcipit, quæ possunt esse humanæ vitæ ornamento. Nam & imbelles punit, intemperatos coercet, cohibet iracundos, vitia demũ omnia acriter insequitur, virtuti præmia amplissima statuit: vnde fit, vt hæc iustitia clarissima & præstantissima sit virtutum omnium, cùm cæteras virtutum omniũ actiones amplectatur. Non enim nobiscum solùm, sed cum altero quoque potius esse iusti possumus. In cæteris verò virtutibus euenit, vt ad nostram vtilitatem duntaxat eas actiones exerceamus. Quo fit, vt iustitia alienum bonum in prouerbio appelletur. Erit ergo iustitiæ virtus, totam virtutem amplexa: iniustitia è diuerso, habitus vitiis omnibus coinquinatus. Sed hoc differt à virtute iustitia, quoniam iustitia respicit alterum, virtus refertur ad neminem.

Sens

Sensus II. Capitis, I. Tract. quod incipit, Quærimus.

EST *& alia particularis iustitia, quæ sub ea de qua suprà diximus, legitima scilicet iustitia cõtinetur. Ea est habitus quidã particularis, vt reliquæ virtutes quo re sua cõtentus est vnusquisq; & lucri & damni æqualitate. Cõrrarius habitus est, quo quis exterioribus cõmodis abundare, & incommodis vacare præter æqualitatem studet. Quare quãquam generalis illa, & particularis hæc iustitia versetur circa alterius vtilitatẽ: differunt tamen eo, quòd generalis illius iustitiæ materia virtutẽ vniuersam amplectitur: huius, quia particularis est virtus, materia etiã est particularis, spectatq; propriam alicuius vtilitatem. Huius duæ sunt species, vna in honoris, pecuniæq; communis commodi atque incommodi distributione consistit: altera in commerciis. Commerciorum duo sunt genera: voluntariorum, vt emptio, venditio: inuoluntariorum, atque horũ alia occulta, vt furtum, adulteriũ: alia manifesta & violẽta, vt verberatio, rapina, depopulatio, insectatio.*

Sensus III. Cap. I. Tractatus, quod incipit, Quia autem & iniustus.

CVM *ergo iniustum omne sit inæquale, erit iustum omne inter plus & minus medium quoddam in æqualitate constitutum. Quare, quia æqualitas minimum est in duobus, & iustũ exerceri nisi inter plureis nequit, cõsequẽs est, vt ea quã distributiua iustitia seruat mediocritatem, cõstet & rerum distribuendarum, & personarum quibus distribuendum est, proportione. Quare si quantum persona personam superat, tantum res rem superauerit, recta erit distributio, geometrica proportionalitate seruata. Quam si spreueris, oriri videbimus*

mus ciuiles dissensiones. Non solùm autem in numeris, sed in iis quæ numerantur, reperitur proportionalitas. Huius duæ sunt species: disiuncta, vt ea quæ quatuor vtitur terminis: cōtinua, vt ea quæ tribus. Iustū distributiuum in disiuncta consistit. Ita cùm videris, talem esse rei ad rem, qualis est personæ ad personam, proportio: etiam promiscuè reperies, talem esse rei vnius ad personam vnam, qualis est rei alterius ad alteram proportio. Quinimo etiam hoc modo quadrabit: vt qualis est singularum personarum ad singulas res proportio, talis sit vtriusq; rei ad vtranq; personam.

Sensus IIII. Cap, primi Tract. quod incipit, Reliqua autem.

AT *ius quod est in cōmerciis, optimè fit per arithmeticam proportionalitatē, quæ quantitatis æqualitatem, non ipsarum proportionum spectat. Neque enim ratio vlla personarum haberi solet, vbi in negotiis vltro citroq; gestis æqualitas constituenda est. Nā lex delicta respicit, non delinquentes: eundemq; in modum, virum bonum si furatus est, ignominia notat, atq; si improbus fuisset. Quamobrem iudex iacturam eius qui ad iudicium profugit, cum lucro alterius recōpensat. Est enim ius medium quid inter lucrum & iacturam, iudex verò ius est animatū. Lucrum autē dicitur quis facere, cum plus habet eius rei quæ ad se minimè pertinet: iacturamq; is facit, qui quod suum est, non habet.*

Sensus V. Capitis, primi Tractatus, quod incipit, Videtur autem aliquibus.

NON *rectè autem Pythagorici putauerunt, iustū esse id quod quis repatitur, hoc est, tantum quantū est passus, quando redditur, iustū esse dicendū. Non enim fas est principem cædi ab eo, qui cæsus sit à principe. Si verò*

verò ita adieceris, vt iustum illud sit, quod quis repatitur, seruata proportionum, non quantitatis æqualitate, rectè definies. Etenim humana societas, & ciuilis consuetudo officiis vltrò citroq; pro hominum cōditione reddendis maximè solet contineri. Coæquanda sunt autem contrahentium mercimonia coniugatione diametrorum, hoc modo: quòd si pretia imparia sunt, aut rerum replicatione, aut mumo qui propter hoc est adinuentus recompensare oportet. Rerum autem pretia pro modo penuriæ instituuntur. Nulla nanque fit permutatio earum rerum, quibus non egemus. Ex superioribus liquet, iustam actionē esse inter facere iniuriā, & pati, mediam. Est enim facere iniuriam, plus habere: pati verò, minus. Omnis autē virtutis actio inter plus minusq; consistit. Sed & hinc patet, iustitiam à cæteris differre virtutibus. Est enim ita in medio cōstituta, vt extremū alterum duntaxat vitium esse videatur. Illud est iniuriam facere, quæ iniustitia dicitur: sed iniuriam pati, quòd alterius est extremi, vitium esse non potest.

Sensus 1. Capitis, 2. Tractatus quod incipit,
Quia autem est iniustum facientem.

QVæritur deinceps, sitne iniustus omnis qui damnum infert? Sanè antequàm soluo, scire oportet ius politicum (de quo nunc est sermo) in vita communicatione consistere, solumq; ad homines liberos, ad æqualitatem, ad actus pertinere, vt ea quæ vsui humano esse possunt, abūdè ex ea societate subministrentur. Lex enim omnis ad liberos solùm & æquales est lata. Nam serui à dominis, & filij à parentibus, non à lege continentur: vocaturq; ius dominicum illud, hoc paternum. Nam politicum ad eos pertinet tantum, qui nocere alteri possunt: at pater & dominus, si ille filiis, hic

hic seruo, non nocent alteri: neque sibi, cùm sibi ipsi, partibusq́ suis, & rei suæ nemo nocere intelligatur. Ius autem vxorium propius ad politicum accedit, cùm maior sit inter virum & vxorem æqualitas.

Sensus II. Cap. 2. Tractatus quod incipit, Politici autem.

IVS *autem politicum, aut naturale est, aut legitimũ, siue ciuile. Naturale est, cuius eadẽ est vbiq; vis, quodq́ non ex hominum opinione, sed ex ipsa natura ortũ ducit. Legitimum est, quod tunc potestatem habere cœpit, cum est constitutum, quia nullam vim antea obtinebat. Naturale verò idcirco dicitur, nõ quòd inueniri causæ non possint, in quibus non sit ei iuri standum, sed quòd rarissimè. Sed iura ciuilia pro cuiusque loci, temporisq́ diuersitate mutantur, vt mensura & pondera. Quare non eadem apud omnes homines iura seruantur, cùm non eadem vbiq; Respub. quanquàm vna sit tantùm naturaliter optima. Sanè naturale ius & legitimum tanquã genera duo, cætera particularia iura cõplectuntur.*

Sensus III. Cap. I. Tractatus, quod incipit, Differt autem iniustificatio, & iniustum.

PORRO *iniustum ab iniuria differt, & à iusto ius: quod iniustum est, vt furtum, & verbera, etiã antequàm quis furetur, aut verberet: Iniuria est, vt verberatio, postquã verberaueris duntaxat. Eodem modo iustũ & ius differunt siue iusti actio: nam ius magis est, vt iniuriæ directio esse videatur. His ita distinctis, soluamus iam id quod suprà quæsiuimus, fierine possit, vt qui iniustè facit, id est, damnũ infert, iniuriã non dicatur intulisse? Sanè si lubens fecit, iniuriam fecisse videtur: si ignorãs, nequaquam. Est enim iniuria, voluntaria res:*

volun

voluntarium autẽ id est, quod in potestate faciẽtis cernitur, quodq́; à sciente fit per se, & absq; vi vlla. Non tamen omne quod sciens quis agit, patiturue, voluntarium dicitur. Sentit enim se vnusquisque & senescentẽ, & morientem: quorum neutrum est voluntarium, aut inuoluntarium. Tripliciter ergo nocet quis alteri, aut ex ignorãtia, estq́; hoc infortunij genus quoddã: aut ex aliqua affectione vehementi, qualia sunt intẽperantiæ iracũdiæq́; peccata: aut ex electione, id est, per deliberationem, horum hominum genus inprobum & iniustum dicitur. Nam iracundiæ motus quia repente accidunt simulatq; ab altero facta est læsio, neq; electione, neq; præmeditatione videntur esse præparati: quapropter fatentur quidem, quod commiserũt iracundi, sed id se iustè fecisse suspicãtur, quasi vim vi repulisse videantur. Qui verò præmeditatam infert iniuriã negat plerunq; factum, quia cognoscit se iniustè egisse. Porrò inuoluntaria delicta, si ex ignorãtia commisimus, veniam merentur: si ignorantes, non merentur. Hoc ex superioribus liquet.

Sensus IIII. Cap. 2. Tractatus, quod incipit, Dubitabit autem vtique facientem.

EST *& ea non inutilis quæstio, vtrum quis iniuriã pati voluntariam possit: nam pœnas luere, quod est iustum pati, sæpissimè cõtra voluntatem luentis est. Item illud quoq; manifestum est, posse euenire: vt is qui iniuste patitur, id est iacturam facit, iniuriã tamen passus non videatur. Contingit enim iacturam facere etiam, quando est nemo qui iniuriam inferat: pati tamen nemo potest iniuriam, nisi adsit illator iniuriæ. Quamobrem quum etiam illud intelligatur, eum qui vltro nocet alteri, ita demum nocere videri, si faciat cõtra eius cui*

nocet voluntatem: reliquũ est vt existimemus, neminẽ pati volũtariè iniuriã. Nam qui propter amoris vim, cupiditatẽq́; potiundæ voluptatis, dilapidet opes suas, vltro quidem sibi ipsi damnũ infert, nullã tamen iniuriam patitur. Quid, non & illa pulcherrima est quæstio? Vter plus delinquat, isne qui inæqualiter distribuit, an is cui est inæqualiter distributũ? Profectò qui sibi retinet commodi minus, modestiæ nomẽ assequitur: & quod rei deest, honor recompensat. At qui pluribus commoda distributurus, inæqualiter, id est nõ seruata personarũ dignitate distribuit, in vitio est maiori. Peccat enim grauius, qui causã dat peccãdi alteri, quàm qui occasione vtitur. Procul dubio malè is sentit, qui facillimũ putat esse, ius & iniuriam facere. Quia ius & iniuriam facere nemo nisi cum habitu potest, habitus verò nequit sine difficultate & lõga exercitatione comparari. Præterea scire leges & iura, non est vti iustitia: sed præcepta ad causas particulares accommodare. Ex omnibus itaque patet, ius & iniuriam ad eosdem, ad quos commoda & incommoda, pertinere.

Sensus primi Cap. & vnici, tertij Tract. qui incipit, De epiicia verò, id est æquitate.

N*Vnc æquitas quæ sit definiamus. Ea est à particulari iustitia longè diuersa: fit enim quãdoque, vt laudemus id quod de bono & æquo iudicatum est: contrà vituperemus, si seuerius, id est per summum ius fuerit lata sententia. Quare continetur quidem sub naturali iure quod æquum est, sed iure legitimo distat eo, quòd æquitas statuit in iis rebus quæ a iure ciuili comprehensæ non sunt: est enim natura rerum vsque adeò varia, vt lex quæ vniuersaliter cõtinere omnia nititur,*

nequeat tamen vniuersã complecti. Lex est, parricidã capitis teneri. Tyrannum occidit quispiã, æquitatis est in ea re legem nõ sequi. Quare æquitas erit, iustitiæ ciuilis directio: vnde qui esse æquus vult, debet & clementia præditus esse, & ab omni seueritate abhorrere.

Sensus vltimi Cap. quod incipit, vtrum autem contingit sibi ipsi.

RESTAT *vt videamus, vtrum sibi ipsi quis inferre possit iniuriam: Num etiam qui se ipsum interficit, iniuriam facit. Lex enim prohibet omnẽ iniuriã, prohibere autem intelligitur lex, quando non iubet. Facit inquam iniuriam non sibi, sed patriæ, quæ vno minuitur ciue: quare vel de mortuo supplicium sumitur, quippe cuius cadauer iacere inhumatũ sit necesse. Quòd si contenderis, facere sibi iniuriã homines posse: fateberis duo contraria, eundẽ scilicet & plus, & minus habiturum commodi. Habet enim ex eo quod facit, plus, & ex eo, quod patitur, minus, vt supra est declaratũ. Itẽ quemadmodum nemo cũ vxore sua adulter, nemo rei suæ fur dicitur: ita nemo sibi ipsi facere dicetur iniuriã. Sanè siue iniuriã inferas, siue patiaris, vtrũq; mala res est, quia æquabilitate caret, & à mediocritate recedit. Deterius tamẽ est inferre quàm pati, quia sine iniustitia inferri nõ potest iniuria, pati potest sine vitij vllius culpa. Quòd si propter illatã iniuriã præter modũ vlciscare, euenire potest, vt qui passus es iniuriã per accidens, grauius crudeliusq; cõmittas. Dici tamen solet iniuria etiã ea, quam quis sibi infert ipsi, suæve rei, sed impropriè, & per translationẽ. Deriuata est autẽ ea nũcupatio propterea, quòd qui sibi suæve rei iniuriam facit, diuersas quodammodo personas gerere videatur. Quia diuersæ sunt partes, inter quas tota hæc nocendi sibi ipsi ratio*

ratio versatur. Concupiscentia nanque, quæ assiduè pugnat cum ratione, si prostrauerit, inferre videtur iniuriam, nō sibi ipsi, sed alteri, id est rationi, quam vincit.

FINIS.

HERMOLAVS BARBARVS P. FOSCARO, S. P. D.

LICERET mihi, præsul sapiētissime, in huius sexti compilatione longiuscula præfatione vti. Omnes enim qui in Ethica Aristotelis scripsisse inueniuntur (de idoneis loquor) cum sextum attigissent, tanquam ingressi diuersam à prioribus libris disputationē, prologū aliquē præposuere, id quod in cæterorum voluminum initio minimē fecissēt. Hunc morē vt de reliquis taceam, vberrimus & grauissimus autor Eustratius obseruauit. Sed quoniam tota hæc ratio procemij adiiciendi ad prolixitatē operis pertinet, videbor propositæ initio breuitati consulere, si effecero, ne altissimæ grauissimæque cogitationes tuæ longa oratione, & quidem inutili detineantur. Vale, Paduæ. x. Calen. Maias. M. CCCC. LXXV

EPITOME SEXTI LIBRI ETHICORVM ARIST.

Sensus primi Cap. primi Tractatus, sexti libri.

Diximus de moralibus: nunc de intellectualibus agēdum est etiam virtutibus. Nondū enim perfectè moralis virtus quæ sit, cognoscitur, cum verbum in eius positum definitione minimè sit declaratum: puta ratio. Diuidamus itaque rationem, id est partem animi intellectiuā, in scientificū, id est in id quo, necessaria ut sēpiterna perspicimus: & in ratiocinatiuū, id est in rationem quandā particularem, qua cōtingentia & subiecta corruptioni cognoscimus. Ad virtutem autem moralem requiritur & rectum iudicium ratiocinatiuæ particulæ, & recta inclinatio appetitus. Nam actuum humanorum qui in nostra sunt potestate, efficiens principium est electio, quæ ad virtutem constituendam necessaria est: delectio verò studiosa ex duobus iis constat, ratione scilicet recta & recto appetitu. Quo fit, vt ratio & appetitus causæ sint humanarum actionum: & virtus tunc consummata sit, cum recta & mens, id est ratio & appetitus fuerit: & cum id cui assenserit ratio, persecutus fuerit appetitus: cui verò dissenserit, fugerit. Porrò scientificæ partis ratiocinatiuæ absoluta est veritas, sed hoc differunt, quoniā veritas absoluta ad scientificam pertinet, ad ratiocinatiuā verò neq; absoluta, sed ea quæ recto appetitui consentanea. Ex his licet animaduertere, ex duabus animæ particulis rationē habētibus, vnam esse quæ mouet, puta illam particularem: nam mens & ratio contemplatiua nihil mouet. Electio ergo cùm constet ex pertinenti ratione & appetitu

petitu, aut in intellectu existet, aut in appetitu. Eligũtur autem non omnia, vt ea quæ facta sunt. Quamobrẽ Agathon rectè fertur dixisse, Deum ius nullum habere in præterita.

DE SCIENTIA.

Sensus 11. Capitis, 1. Tractatus, quod incipit, Sunt vtique.

NVnc age videamus quænam & quot sint partis totius intellectiuæ ornamenta: est autem virtus omnis intellectualis ad cognitionem veritatis accommodata. Hæ quinque sunt, scientia, ars, prudentia, sapiẽtia, intellectus. Scientia est earum rerũ quæ aliter atq; sunt, esse non possunt: ea enim se scire omnes homines arbitrantur, quæ minimè valeant alio statu esse quàm eo quo sunt. Quare cum contingẽtia alio esse statu possint, quàm eo quo sunt, nequaquam videtur ad scientiã pertinere. Scientia autem omnis doceri potest, proficisciturq; ex ante cognitis: omnia nanque aut inductione, aut syllogismo cognoscemus, inductio tamẽ principiũ est cognitionis. Nãvniuersales propositiones, ex quibus ducitur syllogismus, inductione probari consueuerunt. Est itaque scientia habitus demonstrandi, ex iis quæ notiora sunt nobis quàm conclusiones. Alioqui imperfecta scientia haberetur.

DE ARTE.

CVM autem aliud sit fictio, aliud actio: item aliud quod fingi, aliud quod agi potest: necessarium est diuersum esse habitum, qui fictionem rerum fabricationemq; gubernat, ab eo qui actioni præest. Sane videmus eum qui fictioni seruit, nihil aliud esse quàm artem. Est ergo ars, habitus fingẽdi cum ratione. In cõstitutione autẽ operis artificiarij, & cogitatione & fabricatione opus

est: pertinetq́; ars ad eas res duntaxat, quæ contingentes sunt, quæq́; principiũ intra se nõ habent effectuum, sed extrinsecus ab artifice agitãtur. Inertia contrarius habitus est, falsa ratione fingendi.

DE PRVDENTIA.

EST *prudentia circa eadem quidem, sed quæ neque fingi possunt, neque fabricari, sed agi: id est circa eas actiones, quæ permanent in agẽte, vt intelligere, velle, appetere. Is autem prudens & est & habetur, qui maximè perspicit & cõsulit quid in re quaq; vtilissimum, expeditissimumq́; ad honestã totius vitæ traductionẽ. Est ergo prudentia habitus, cum ratione agendi ea quæ homini bona vel mala sunt: nam ars non circa hominis bona versatur, sed circa operis sui perfectionem, quò tanquam in finem tendit: fictionis enim finis est nõ fictio ipsa, sed res fingenda. Actionis verò finis est actio. Et Græcè temperantia σωφροσύνη dicitur, quasi prudentiæ cõseruatrix: quia ij qui laborant intemperantia, id assequũtur, vt bonorũ & malorũ fines ignorẽt. Quibus ignoratis, necesse est ignorare principia actionum. Est enim finis in vnaquaque actione principium. Differt autẽ ab arte prudentia, quia rectè vti arte sine virtute morali non possumus. Item qui sponte peccat in arte, minus peccat quàm qui ex imperitia. Qui verò prudẽtiæ partẽ deserit vltro, grauius errat quam qui ex ignorantia: quod & in virtutibus moralibus cernitur. Demum prudẽtia & rationem & appetitũ amplectitur, cæteræ intellectuales non amplectũtur. Quia reliquorum habituum qui in intellectiua parte sunt, obliuisci possumus, prudentiæ non possumus.*

DE INTELLECTV.

INTELLECTVS *autem est habitus principiorũ,*

ex quibus cõclusiones & argumenta ducũtur. Nam ad scientiam illa non pertinẽt, cùm demonstrari non possint: nõ ad artẽ, neq; prudentiã, cùm necessaria sint: non ad sapientiam, cum eadem nõ possint in conclusionem.

DE SAPIENTIA.

SAPIENTES verò solemus etiam perfectos scitissimosq; artifices appellare, Phidiam, Polycletum. Verè is sapiẽs dicitur, qui rerum simpliciter omniũ quæ sciri possunt, consummatissimè cognitionem est assequutus: quia sapientia scientiam & intellectum amplectitur, eritq; inter reliquas disciplinas honoratissima existimanda. Idcirco prudentiam quoque sapiẽtia longè infirmiorem putamus. Illa enim de hominis cõmodis atq; incõmodis, hæc de diuinis altissimisq; rebus contemplatur. Perpetua atque eadem sunt, quæ sunt sapiẽtiæ subiecta: diuersa & varia, quæ ad prudentiã pertinẽt. Diuersis siquidem hominibus diuersa sunt cõmoda. Quare fieri potest, vt qui sapiens est, prudẽtia tamẽ careat. Quo in numero fuerunt Thales, Anaxagorasq; philosophi. Nam quomodo per deũ esse prudentes potuerũt, si sua cõmoda aut non viderũt, aut per summã negligentiam dissipauerunt? Prudens itaque is videtur habendus esse, qui non solùm vniuersalia nouit; sed & particularia cõmoda quæ sint cognoscit, & consilio & solertia potest adipisci: quare euenit vt mathematici euadant celerius quidẽ adolescentes, quàm prudentes: prudentia nãque circa singulares versatur actiones, quarum magistra est experientia. Expertus autem esse non potest adolescẽs. Facilius item mathematicas imbibũt, quàm metaphysicas aut naturales disciplinas: naturaliũ siquidẽ rerũ principia experiẽtia cognoscũtur: metaphysica verò tanquã incredibilia excedũt puerilem

capacitatẽ. Sed prudentia illa ciuilis, & maximè principalis, quæ hominẽ ad totius reipub. vtilitatẽ accõmodat, aut ponẽdis legibus laborat, aut exequẽdo ea quæ iubet lex. Est autẽ triplex prudẽtia: prima ea quæ nũc est enumerata: altera, quæ non communem vtilitatem, sed priuatam inuestigat: tertia, quæ domestica rei prospicit. Falsò nimirum nonnulli prudentiam ciuilem ad curiosos negotiosos q; pertinere arbitrati sunt, quasi constare ciuilis prudentia sine priuata & domestica rectè possit. Nemo enim ciuitati consulit rectè, nisi scierit prius sibi & rebus suis consulere.

DE EVBVLIA.

HABET *autem vnaquæq; prudentia & rectè consulendi. & iudicandi virtutẽ annexam. Bene consulendi habitus Græcè dicitur* εὐϐουλία: *ea non est sciẽtia: nã quãdo discimus, minimè quærimus: quærimus, quando cõsulimus. Nam opinio est, cum alicui assentitur is qui opinatur (nihil est enim cui assentiatur qui adhuc est in consulẽdo) nõ solertia. Solertis siquidem est, causam in vnaquaque re posse celerrimè & absque mora perspicere. Rectum consilium carere debet omni properatione. Bene consulit itaque is qui tempus & diligentiam adhibet cogitationi, quiq; ad honestum aliquem finem potest & scit initis rationibus peruenire: finis autem ad hanc virtutẽ idem, qui & ad prudentiam pertinet, totam videlicet spectans humanæ vitæ vtilitatem.*

DE SAGACITATE.

SAGACITAS *item, cui opposita est ruditas, siue hebetudo, neque scientia est (quia si per singulas discurratur artes, neque geometria, neq; arithmetica, neque naturalis esse reperietur) neque rursus opinio, alioqui sagaces essemus omnes, cùm nemo sit qui non aliquid*

opin

opinetur. Est autem prudentia quàm simillima: circa eadem enim versantur amba: sed pracipit prudentia fieri ea qua sagaciter iudicata sunt: inuenit enim consulendo eubulia, iudicat sagacitas: imperat prudentia, quod rectè iudicatum est, referri ad actionem.

DE GNOME.

EST & *alius rectè iudicandi habitus, Graci γνώμην appellant. Is à sagacitate in eo differt, quia sagacitas super ijs rebus iudicat, qua pertinere ad ius ciuile intelligũtur. Gnome de ijs sentẽtiam fert, qua ad aquitatem spectare comperta sunt. Porro habitus hi vsque adeò sunt inter se copulati, vt qui sagax est, solers prudensq́ esse videatur: circa singulares enim actiones habitus huiuscemodi versantur. Vnde quia sensus particularia perspicit suapte natura, habitus hi qui circa particularia exercentur, naturaliter inesse quodammodo iudicãtur. Idcirco videmus senes plurimum valere prudentia quasi atas illa sua natura attingat prudentiã. Quamobrem malo seni sine vlla ratione asserenti credere, quàm ipsi rationi.*

QVAESTIO.
Cap. vltimi.

QVares fortasse, quid conferant prudentia & sapientia ad felicitatem? *Sapientia quidem nihil habet actionis: prudentia quoq́, quãquàm ea intelligit qua prodesse homini possunt in vita, videtur tamen nõnullis simillima esse medicina, cuius quis artem assequutus, potest etiam ab officio medicãdi esse alienus. Quòd si dixerit quispiã requiri prudentiã solum antequam cõparata sit virtus (parta enim virtus satis est ex se ipsa ad actiones & felicitatem) non propterea soluitur id quod sequutũ est, videlicet neque tũ*

quidem cum virtutẽ volumus assequi, necessariam esse prudentiam. Satis enim erit, si alterius prudentiã imitatus, non suam, sese quis ad virtutem accõmodet. Nã & qui sanitatem adipisci student, non discunt cõtinuò medendi scientiam: sed scientiam habenti & imperãti medico obsequuntur. Sed soluamus quæstionem hoc modo.

SOLVTIO.

SAPIENTIA *atque prudentia, quia animi ornamenta sunt, etiam si nihil ad felicitatẽ conferant, per se tamen expetendæ videntur. Alioqui & conferũt plurimũ: vt enim incolumẽ te sanitas reddit, ita facit sapientia beatum. Prudentia verò nonne actionem virtutis exornat? virtus enim finem propositum, quia studiosus & honestus est, appetit: prudẽtia, per quæ ad finem illum perueniam, ostendit. Præterea virtutis actio electione perficitur: electio sine prudentia non consistit. Est autem industria naturalis vis quædam, prudentiæ quàm simillima: qua facillimè verissimeq́ rationes ad finem perducentes inuestigamus. Ea, si finis malus est, astutia dicitur.*

QVAESTIO.

PRVDENTIA *sine virtute morali non constat. Discurrit enim per rationes: discursus omnis fit rectissime syllogismo similis, qui duci non potest ignorato principio. Principium actionis est finis: de fine sentiri rectè non potest ab eo qui virtute caret.*

ALIA.

EODEM *modo sine prudentia virtus nulla existit. Sed scire licet virtutes inesse nobis quasdã naturales, ita vt alij ad æquitatẽ, alij ad temperãtiã, alij ad virtutes quisq́ proprias natura propensiores esse videantur:*

tur: virtus autē moralis, id est, quæ nō natura, sed exercitatione cōparatur, rationē adhibet. Ratio verò quid aliud esse potest, quàm prudentia? Quo fit, vt Socrates non prorsus errauerit, qui virtutes omneis prudentias scientiasq; appellabat.

ALIA.

HINC *sequitur neminem posse vna sine reliquis, virtute præstare. Eius rei ratio est, quia cùm virtus omnis prudentiam ferat annexam, prudentia verò virtutes omnes amplectatur, sequens est, vt virtus vna virtutes cæteras comprehendat.*

ALIA.

VIDERI *autem nonnullis potest, prudentia sapientiæ dignitatē excedere. Quia & qui ad sapientiam instituuntur, iubent, & prætereà ea omnia statuunt, quæ ad Reipub. ornamentum disciplinamq; possunt pertinere. Non autem propterea sapientiæ præcellit: sed sicut sanitas præstantior est medicina, quanquam medicina est causa sanitatis: ita sapientia superior est quàm prudentia: quia sapientia potioris partis est virtus, quàm sit prudentia.*

FINIS.

INDEX RERVM AC VOCABVLORVM OMNIVM.

A

ACCIPIENDO nimij qui 77 non Accipientibus iustitiæ potius quàm liberalitatis laudem tribui 72
Acerbi 90
Ἀκρόχολοι ibidem
Ἀκολασία 70
Actio omnis ad bonum aliquod refertur 1 & 4
Actio perfectissima quæ pag. 220
Actionis honestæ finis. 131
Actionis omnis finis ex animi habitu ponderandus 59
Actionem affectionem nõ esse, nec contrà 130
Actiones vitæ dominæ 28
Actionum fines 2
Actionum principium homo 52.54
Actionum quæ volũtariæ, aut contrà 54
Adolescentũ amicitia cuiusmodi 177
Adolescentibus moderatè & constãter viuere molestum 245
Æquale 34
Æquum & bonũ iuris legitimi emendatio 123
Æqui & boni vis in quo posita 124
Æquus & bonus quis ibi.
Æschylus mysteria, &c. 46
Affabilis 39.91
Affectiones quot 40
Affectiones quæ & quatenus sint in vitio 91
Agrestis 39.96
Aleatores auari 78
Amabile, & amabilia quæ 175
Ambitiosus 37
Amantium querela 199
Amicitia cũ quibus nulla 191
Amicitiæ æqualitas 181.186 & 193
Amicitia cuiusmodi per se expetenda 185

Amicitia & beneuolentia non idem 207
Amicitia filiorum cum parentibus & hominũ cũ aliis cuiusmodi 192. 193
Amicitia improborum mala 222
Amicitia inter quos esse possit 208
Amicitia maximè firma ac stabilis cuiusmodi 178 & 179
Amicitia omnis in quo cõsistat 192
Amicitia paucorum præstantior 219
Amicitia qualis cuiq; secum 206
Amicitia quomodo locorũ interuallo aut silentio dirimitur 180
Amicitia dimittẽda ratio 203
Amicitia genus in excellẽtia, & præstantia cuiusmodi 183
Amicitia genera 176. 178 179. 194
Amicitia prouerbia 212
De Amicitia similitudine prouerbia 174
Amicitia vsus: & quatenus ea virtus 112 *inde*
Amicitiam & iis versari in iisdem 185 *inde*
Ad amicitiam minus idonei qui 180. 182
Amicitiam perfectam instituti cum multis non posse 182
Amicitia fucata cuiusmodi 176
Amicitias comparatione & proportione exæquari 193
Amicus alter idẽ 206. 214 217
Amicus propriè quis pagina 211
Amici esse, beneficia dare potius quàm accipere 214
Amicum nihil debere inuitum facere 196
Amici ad prosperitatum magis communionem, quam calamitatum vocandi 221
Amici an multi parandi 218
Amici qui 206
Amici secundisne rebus an aduersis, magis desiderantur 219

Amico

Amicorum bona communia pag. 187
Amicor. cõuictus 221. 222
Amicorum in bonis externis præstantia 214
Amicorum inter se exploratio 178
Amicorum maximè proprium quid 180
Amicorum præsentia in omni fortuna expetenda 221
Amor in aspectu ibidem
Amor sui quatenus deceat 212 & 213
Animus paruus, aut pusillus qui 37
Animi bona maxime vera 13
Animi partes 127. 216
Animi magnitudo 37 *elatio* ibidem
Animo magno excelsorũ quis 82
In Animo tria in actione dominari 127
ἀπειροκαλία 37
Architectura ars 130
Aristocratiæ in oligarchiã mutatio 189
Arrogans 29. 60. 93.
Arrogans improbo similis 93
Arrogantem veraci opponi 95
Arrogantia 38
Ars quid 130
Ars omnis ad bonum aliquod refertur 1
Artis aliquam esse propriam virtutem 132
Arti effectio subiecta 130
Arti nulli voluptas proposita 168
Artem omnem in ortu versari 130
Artium & virtutũ diuersa ratio 31
Assentator 39 & 99
Assentatores humiles & seruiles 86
Auaritia 37 & 72
Auaritiæ malum insanabile 77
Audax 28. 36. 60. *quid à forti differat* 61
Audere, fidẽtis animi. ibi.

B

B Αναυσία 37
Beata vita, animi actio 23
Beata vita quarum rerum amotione labefactetur pag. 16

Beata vita domina actiones pag. 18. 20
Beata vita etiam impedimento esse fortuna 169
Beatitas omnis in vita & actione sita 215
Beatitudo 4. 15. 22. & 169
Beatitudini laudem non competere 21
Beatitudinē ab aliis alia in re poni 5. 14
Beatus cuiusmodi sit per animi vitam 19
Beatus cur Græcis μακάριος 155
Beatus esse miser nūquàm potest 19 *nec varius aut mutabilis* ibidem
Beatus nemo ante obitum, Solonis sentētia 17: *ibidem &* 18
Beatus quis 20
Beatus, vere bonus, & quadratus, &c. 19
Beato an etiam amicis opus 214. 215 *& cuiusmodi* 218
Beatum cur nullum aliud præter hominem animal duci possit. 17. *nec puer* ibidem
Beatum esse 4
Beatum, esse vitæ calamitatibus obnoxiū non posse 17
Beatorū nemo inuitus 54
Bellicosi non iidem qui fortes 54
Belluæ cur impotentes 151
Belluæ per metaphoram, intemperantes 158
Belluæ qua causa incitatæ impetum faciant 64
Belluas sensus quidem participes esse, actionis verò non item 128
Beneficij reddendi ratio cuiusmodi habēda 196
Beneficium qui accipit, eo qui dat est inferior 85
Beneficia dare potius quā accipere, amici 214
Beneficiorū amicitia 209
Bene viuere 4
Beneuolentia 175
Beneuolētia amicitiæ fons 208
Beneuolentia nō idē quod amicitia 207
Beneuolentiæ causa 208
Biātis dictum præclarum 101
Bonum æquè patēre ac naturam 7

Bonũ aliquod omnis artis ac studij finis pag.1
Bonum certum & finitũ 35
Bonum cuiq; arti propositum quid 9
Bonum duplex 166
Bonum in tria genera diuisum 13
Bonum maximè perfectũ, felicitas 10
Bonum quid 52
Bonum summũ quid 1.4.6 an voluptas 235
Bonũ summũ in quo ponatur, magnopere referre 14
Bonum summum, propriũ quiddam 56
Bonum hominis summum quodnam 12
Boni summi circũscrip. ibi.
Boni summi cognitio magnum habet ad vitã degendam momentum 2
Boni vniuersi consideratio absoluta 6.7
Bona externa quãtũ ad bonas act. momẽti habeãt 15
Bonorum duo genera 8
Bonus vir omniũ mensura
Bonus vir qua affectione preditus 91
Boni viri officium 205
Bono futuro cuiusmodi vita ratio ineunda 245

C

Calamitates quomodo ferendæ bono viro & beato 19
Calliditas 142
Κεχολᾶσϑ 70
Censuum potestas 188
Censũ potestatis in democratiam mutatio 189
Chamæleonti similis, prouerbium 18
Ciuilis fortitudo quæ 61
Ciuilis sciẽtia melior quàm medicina 23
Ciuilis sciẽtiæ finis 17.22.23
Ciuilis scientia nõ idoneus auditor iuuenis 3
Ciuilis sciẽtiæ vsus ac præstantia 5
Ciuili scientiæ propositum summum bonum 17
Ciuilem scientiam non esse idem quod sapientia 134
Ciuilium rerum auditor idoneus qualis 5
Ciuitatũ cõcord. quæ 209
Κλεῖς 99
Clemens, clementia 38.89
Cognitio quibus summum bonum 5

Cognitio rerũ duplex ibi.
Colligendi vis 127
Comis, comitas 39
Cõcordes qui 208. concor-
diain quo sita 209
Concordia & consensus nõ
idem 208
Concordiæ vsus 174
Confidens 36
Cõiugij vinculũ liberi 194
Ad cõiug. natus homo 193
Consiliũ bonum cuiusmo-
di 138
Consiliũ bonũ sine ratione
constare non posse 137
Consiliũ generale 138. spe-
ciale ibidem
Cõsiliũ nõ idẽ quod volũ-
tariũ, 48. aut opinio ib.
Cõsiliũ omne cum ratione
& mẽte coniunctũ 49
Consil ũ prudẽs à solertia
differre 137
Consilium quibus in rebus
versetur 48
Consiliũ quibus de rebus
suscipi soleat 50
Consilium verum 138
Cõsilium qui aptus ad ca-
piendum 134
Constans 159. & ibidem
Constantia ibidem
Consuetudinis vis 27
Consuetudinem mutare,
quàm naturã facilius 165
Cõsulere oẽs sua vtili. 136
Contẽplatio quibus summũ
bonum 5
Continẽs & impotẽs, qua
tenus diuersi 149
Continens quis 15
Continentia 159
Continentia non omnis in
bonis 147
Cõtract. voluntarij qui 104
quare sic dicti ibidem
Cõtractus nõ voluntarij ib.
Contractuum diuisio 104
Cõtraria quæ: 40. & quæ
magis 41
Contrarij vsus 174
Conuitia prohibita à le-
gislatoribus 97
Cum aqua guttur præfo-
cat, quid iam attinet
bibere? prouerb. 148
Ciuium sector 77
Cup. consilio cõtraria 48
Cupiditas inexplebilis vo
luptatis 71
Cupiditas omnis cũ dolo-
re coniuncta 69
Cupid. diuisio 158. & 68
Cupiditatũ quàm iræ tur
pior impotentia 156
Cyclopum vita. prou. 24

D

Damnum 107
Debitorũ salus cura creditoribus 209
Decori excessus quatenus vitiosus 42
Defectio siue lentitudo est in vitio 83
Deformitates quæ vitio dari soleant 56
Deiuncti 106
Deliberare & ratiocinari idem 127
Deliberatio oĩs cõnectio 51
Deliber. recta, vtrũ sciẽtia aliqua an opinio, &c. 137
In deliberat. cadẽtiaque 50
Delicatus 159. & 160
Deliciæ ibidem
Democratia minimè vitiosa respub. 189
Dei voluptas semper vna et simplex 178
Deos res humanas curare, 243
Dexteritas 154
Dextri officium ibidem
Diagrãma Geometrarũ 83
Δίκαιον 108
Δικαιοπράγημα 116
Δικαίωμα ibid.
Δικαστὴς, διχαστὴς 108
Δίχα ibidem
Difficil 39
Dignissimi minimè locupletes 74
Dignitas in exter. bonis 83
Diligentes sui 211. 212
Disciplina publica rectè cõstituta nihil melius, 245
Disciplinæ vis ac ratio 246
Disciplina priuata à publicis quid differat, ibidem
Discordiæ vsus 174
Dissimulator, dissimulatio. (95 39. 93
Dissimulator fastidiũ fugit
Diuitiæ an summũ bonũ 6
Diuitiarũ quãtũ ad bonas actiones momentum 15
Diuus apud Lacones quis, 145
Doceri posse quicquid sub scientiam cadit 129
Doctrina omnis ad bonum aliquod refertur 1.4
Doctrinam omnem ex antecceptis gigni 129
Dolor malus cur, 168. 170
Dol. a per se fugienda, 224

E

Briorum fidentia, non fortitudo 64
Educatio recta cuiusm. 29

Educationis vis ac ratio. pagina 224.245
Electio, non idem quod voluntarium 48
Eligẽdi principiũ vnde petendum 128
Encõia quar. rerũ ppria 22
ἐγκύκλιοι Aristotelis lib. 6.
Enuntiatio extrema 152
Esse homini quid 217
Eudoxus cur summũ bonũ dixerit voluptatem 22
Eudoxi temperantia 223
ἀδ' ϕάπελοι qui 96
ἀδ' ϕοποι ibidem
Euripidis locus, 44.136 138.& 180
Excellere quaq; in re difficile 41
ἐξωτερικοὶ Arist. lib. 23
Eexercitationis vis 248
Experientia vsus ibidem
Expeti omnino & absolutè quid 162
Extremorũ ad mediũ accessio 40 eorũdẽ inter se dissimilitudo maxima, ibid.
Extremorũ alterũ grauius, alterũ leuius peccatũ. 42

F

Facilis, facilitas 39
Factiosus quis 93
Facultates 32
Facultatum & habituum discrimen 99
Felicitas à diis data 16
Felicitas, bonũ maximè perfectum 10
Felicitas ex quibus cognoscenda 13
Felicitas in actione 17.11
Felicitas in bonis ne laudabilis, an gloriatione dignius 21
Felicitatem fortunæ adscribere, magnum scelus 16
Feritas minus malũ quàm vitium 158
Feritas in hominum genere rara 145
Fidenti animo & fortem esse non idem 63.64
Figulus figulũ, puerb. 174
Filÿ exharedãdi ius quate nus patri 198
Finis an cadat in deliberationem 51
Finis cuiusque artis & instituti bonum 9
Finium diuersitas 10
Finium genera 1
Formidolosa non eadem omnibus 59.60
Fortis quaten. met. expers 59

Fortis verè quis ibid.
Fortis vir quo in genere mortis cernatur ibid.
Forti viro mors molesta, 65
Fortes & bellicosi nō idē, 63 *item fidentes* ibid. & 64
Fortes qui 29
Fortes vnde dicti 65
Fortitudo, fortis 36. 58. et 61
Fortitudo ciuilis quæ 61
Fortitudo, sciētia Socr. 62
Fortitudinis finis inueniēdus 94
Fortitudinis genera 61
Fortitudinis nō esse ira aut dolore incitatū adire pericula 63
Fortitudini quid ira conferat ibidem
Fortuna beatæ vitæ impedimentum 169
Fortunæ casus cuiusmodi in beatum 19
Fratrum inter se cōiunctio; 311. & *amicitia* 190. 191
G
GAllos nihil metuere, Γαςρίμαργοι 68
Gloria externorū bonorū maximum 83
Gloria, quibus sūmū bonū 6
Graculus cū grac. pu. 174
Grammaticus quis 31
Gratia amico reddēda cuiusmodi habenda ratio 195. 196
Gustatus volup. beluina 67
H
HAbitus qui 32
Habitus vitiosi vnde 29
Hebetudo 138
Hesiodi locus 5
Hirundo vna nō facit ver, prouerbium 12
Homeri locus 48. 61. 62. 63 68. 133. 145. 157. 189. 190
Homoactionū princ. 52. 54
Homo ad ciuilem coniunctionem natus 215
Hominis opus munusq; proprium cuiusmodi 11
Hominis virtus quæ, 22. 33
Homine alia esse multò diuiniora 134
Homines breues vrbani qui dē, non item formosi 82
Honos in quib. potissimū 6
Honor, quibus pro summo bono habeatur ibidem
Hospitalitatis modus 218
I
IDearum vsus 7. 8
Ignauus, 28. 29. 37. 60
Ignauiā dolore vacare, 70

Illiberalitas 37
Imbecillitas 154
Immanitas inter homines rara 145
Immanitas minus malum, quàm vitium 158
Impotens & continẽs quatenus diuersi 149
Impotẽs quis 146.147.159
Impotentes absolute, aut cõtra qui, 152.153.
Impotentes an scientia præditi 149
Impotẽtes prodigos dici 72
Impotẽtia absoluta quæ 163
Imp. an aliqua in bono. 148
Impotentia & vitium diuersi generis 161
Impotentia quorũ hominũ maximè temeraria 161
Impotentiæ distinctio 156
Improborum concordia cu iusmodi 209
Improbis nulla secum ipsis amicitia 207
Imprudentia impotẽtia cõiuncta virtus 148
Imprudentia facere & imprudentem non idem 45
Impudens 40
Indignatio ibidem
Inductione q̃ discantur 130
Infensi qui 90
Infinita rei infinitã quærẽdam esse regulam 124
Infortunium 118
Ingeniũ cuiusm. virtus 142
Ingenium verum & perfectum quale 56. Item ingeniosus quis 57
Ingenuus sibi ipse lex, 97
Iniquorũ mediũ, æquũ 104
Initiũ à notis reb. capiẽdũ 5
Iniuria quæ & quibus ignoscenda, quibus non, 118
Iniuriam neminem sua spõte accipere 181
Iniuriã vitiũ q̃s verè sua voluntate accip q̃at, nécne 179
Iniuriã facere minimè videri eũ qui par refert 125
Iniuriã facere ac simulaccipere, eũ qui se ipse interimit ibidem
Iniuriam facere & accipere in malis ibid.
Iniuriam facere quàm accipere grauius esse 31
Iniuriam facere quid 180
Iniuriam vtrum quis sibi ipse facere queat nécne, 174.124
Iniustitia alia atque alia, 130 item iniuria ibidem
Iniust. in quo cõsistat, 113
Iniustum quid 100

Iniustũ, idem, iniquũ, 104
Iniustum aliquid esse, quod non idem iniuria est, 116
Iniustus quis 100
Iniustum hominẽ nullis modis dici ibidem
Iniustos etiã iniquos esse ib.
Iniustarum rerum partitio, item iniustarum 103
Insanus 60
Inscitia quid 131
Institutum quid 52
Inst. nõ idẽ quod consil. 49
Institutum omne ad bonum aliquod referri, 14
Instrumenti & serui collatio 101
Intelligentia 140
Intemperantia 28. 29. 66. 146. 154. & 159.
Intemperãs impotẽte peior. 169. 156
Intẽperãs, insanabilis 165
Intemperantia 37. 69
Itẽper. ex voluptate nasci, timiditatẽ ex dolore 70
Inuidia 39
Inuidus ibidem
Inuitus quis 45. 47
Ioci ingenui & illiberalis distinctio 96
Ira ad fortitud: trãslata 63
Ira quid 89
Ira quàm cupiditatũ minus turpis impotẽtia; 156
Iram audire rationem, sed non exaudire 157
Iracundia 99
Iracũdia aperta 157
Iracũdia maxima ad subeũda pericula aculeus 63
Iracundus, iracundia 38
Irascendi modũ tenere difficile 42
Irasci nescientes omnis sensus expertes 87
Iucundorum distinctio 155
Iudicem profiteri se legem loquentem 107
Iudicare de quauis re verè quis possit 3
Iuppiter cur pater dictus Homero 189
Ius aequabile 108
Ius ciuile duplex 115
Ius ciuile quid 109
Ius Δίκαιον 108
Ius & amicitiam versari in iisdem 187
Ius idem quod bonum & aequum 123
Iũs legitimum quid 115
Ius legitimum & primum non idem 118

Ius mediũ quiddã pag.105
Ius naturale quid 115
Iuris accipiẽdi tribuẽdiq; eandem esse rationẽ 180
Iuris cõseruatorẽ principẽ esse, & custodem 113
Iuris inter quos societas 123
Iustitia 98
Iustitia nihil pulchrius, ex oraculo 15
Iustitia quid sit 113
Itẽ quid iniustitia ibidem.
Iustitia virtus absoluta 101
Iustitiæ tãquã partis generi subiectæ, duo esse genera 104
Iustitia virtus perfecta 106
quare, ibidem
Iustitia vna oẽs cõtineri reliquas virtutes, prouer. 101
Iustitiam & iniustitiam varius modis dici 99
Iustitiam omniũ virtutũ reginam esse 101
Iustum quid 100
Quod iustũ est, omne esse natura, vel instituto 116
Quod iustũ idẽ inæquabile
Iusta quæ habẽda 124 (104
Iusta vnomõ quæ vocẽtur 101
Iustus quis 32.100.118
Iuuenis ciuilis sciẽtiæ nõ idoneus auditor 3

L

LAbore parta omnibus chariora 211
Laudabile quid 21
Laus liberalis in quo posita, & in quo non 71
Laus quibus competat propriẽ, aut non 21
Laus virtutis propria 22
Laudi quibus in actiõibus locus, aut vituperatiõi 44.45
Lentus, lentitudo 31
Lex talionis 109
Legis vis 245
Legislatorum institutũ cuiusmodi 26
Lege cur non caueantur omnia 124
Legum condendarum ratio nẽ vnde, & quomodo quis assequi possit 247
Legum ferendarũ ratio 135
Liberalis ad magnificũ se habet, vt minus cõmune ad magis cõmune; seu vt species ad genus 78.79
Liberalis largiẽdi rõ 72.73
Liberalis opportunus iniuriæ, in re numaria 75
Liberalis quid à magnifico differat 37
Liberalis quis 74

Liberalitas nõ ex beneficiorũ numero, sed animo eius qui dat spectanda pa. 74
Liberalẽ locupletẽ esse, difficile 74
Liberalitas 37.71
Liberalitati iure opposita auaritia 78
Liberi cõiugij vinculũ 194
Libidini neminẽ parẽre innitum 157
Loquaces 66
Lucrum 107
Ludi intemperantia 160

M

Μανάρας unde dictus 165
Magistratus nõ referiẽ. 109
Magnanimus optimus vt sit, necesse 83
Magnanimũ veritate ad iudicandum duci 85
Magnanimus vir quo incessu, qua voce ac oratione debeat esse 87
Magnanimi est nõ meminisse, sed potius contemnere iniurias ibidem
Magnificẽtia 4.6.78. *in quibus maximè cernatur* 64
Magnificẽtia magnitudine liberalitatẽ superat 78.79
Magnificũ, oẽ mirabile 79
Magnificus docto similis. ib.
Magnificus nõ sui sed reip. causa sũptus facere solet 80
Magnificus quis 78 *quid à liberali differat* 37
Magnitudo 78
Magnitudo animi 77 *in quibus cernatur* 82
Inter magnũ quod in re & magnum quod in sumptu est, quid intersit 81
Maleuolentia 39
Maleuolus ibidem
Malũ infinitũ & incertũ 35
Mansuetudo 38.89
μανθάνειν 139
Matribus cur liberi chariores 211
Medici qui propriè 248
Mediocritas 41
Mediocritas in sũmo sita 36
Mediocritatis nõ eadẽ æstimatio 34
Mediocritas non omni actioni aut perturbationi potest adhiberi 35
Mediocritas quo pacto inuestiganda 42
Mediocritas, virtus 35
Mediocritatis in virtutibus præstantia 28

Mediocritates tres in hominum vita esse 97
Medium rei quid 34.89
Medius & perf. vir quis 93
Medius habitus laudab. 91
Mendaces vituperandi. 91
Mendacium res turpis 93
Mens sua quisq; 213
Mens vita actiouisq; omnis dux sequenda 243
Mentem & veritatem omnẽ in agendo esse 128
Merope 46
Μισοδίκιον 108
Metus quid. 58 & quarum rerum ibidem.
Μικροπρέπεια 37
Minus malũ potius quàm maius eligendum 106
Modestus quis 32.82
Modũ non omni perturbationi aut actioni adhiberi posse 35
Modum tenere difficile 42
Modũ quatenus quis transeat 81
Modũ quem ratio praescribit, optimum esse 138
Mollis 159.160
μοναδικὸς 105
Moralis virt. unde dict. 25
Morosus 39
Mores à natura sunt cuique tributi 143
In moribus fugiẽdorum tria genera 145
Morosi 91
Mors & senect. nec volũtaria, nec non volũtaria 117
Mors fortiviro molestissima 65
Mortis genus pulcherrimũ quod 59
Mortis quo in genere vir fortis cernatur ibidem
Ante mortem nemo beatus dicendus 17.28
Mortem sibi consciscere, minimè fortis animi 61
Morte nihil terribilius 58
Mortui in nullo vltrà malo, aut bono ibidem
Mortuos non sentire 18
Motiones morũ indices 96
Mulierum imperium 119
Mutatione nihil iucũdius quate. verè dictum 172

N

Necessariò euenientia, sempiterna 129
Nimiũ & parũ, omnia virtutũ, artiũ, officiorũq; genera perturbare 28.35
Nimium omne molestũ 93 & iniquum 103
Non volens quis 46

Numus res inter se adaequat 112
Numum à νόμου dictum 88
Numi vsus (O) 198
ODoratiõis intẽperātia in q̃b.reb.sita 66
Odore bestias nõ delect. 67
Officij fructus quis 128
Officij omnis finis ex animi habitu ponderandus 60
Opinio non idem quod consilium 49
Opinion. nõ esse quæst. 137
Optimus quis habendus 79
Opus ex re confectum ibi.
Opera quibus in rebus meliora actionibus 1
Oratio vera cuiusmodi 223
Orationis vis ad virtutem quatenus valeat, aut contrà. (P) 245.244
PArci 77
Parentibus necessaria vitæ præsidia deberi 203
Pares cum paribus, &c. prouerb. 174
Pater quis 190
Patrij imperij vis cuiusmodi 245
Patrij imperij cũ regio collatio 189
Patiens 159
Patientia ibidem
Pauidus 35
Pauperũ nemo magnifi. 80
Peccari multis modis 39
Peccatum 118
Pecunia 71
Pecuniarum vsus in quo 72
possessio ibidem
Pecuniarũ in vsu duo vitia 71
Persarũ regũ mollities 160
Persicũ imperiũ tyran. 189
Pertinaces 122.163
Perturbationi oratione non sanari 244
Perturbationem pueritiæ conuenire 97
Perturbationes 32
Philosophi tantum verbis, quales ibidem
Philoxeni dictum 67
Platonis de recta educatione sententia 29
Poëtas operibus suis præcipue delectari 210
Possessio rei 79
Posterorum casus an pertinere ad mortuos putandũ 21 & quatenus ibidem,
Præteritorum nihil sub delectum cadere 125
Priami calamitates 17

Prin

Principium plus quàm rei totius dimidiũ valere 13
Principiorum cognitio 13 quanti momenti ibidẽ.
Προαίρεσις 49
Probos trifariã fieri 244
Prodigalitas 37.72
Prodigalitatem & auaritiam exuperantias esse & defectiones 75 in duobus versari ib.
Prodigus 37.74
Prodigus auaro melior 76
Prodigus per se perit 72
Prodigi omni ope indignos potiss. locupletãt 76 ministros voluptatũ opibus adaugent ibidem
Prodigorum plerique libidinosi ibidem
Proportio 105 deiũcta geometrica 106
Propositum quid 52
Propositum sine quibus esse nullum queat 128
Protagoræ in doctrina sua æstimanda cuiusmodi obseruata ratio 200
Prudẽs nemo nisi bonus 143
Prudens quis 135
Prudentis maximè proprium est deliberare 134
Prudentem consilio valerẽ oportere 131
Prudẽtes qui ibidẽ & 143
Prudentia 131 quibus in rebus cernatur 135
Prudentia non idem quod sagacitas 139
Prudentia qualis habitus 131 & 135
Prudentia triplex ibidem
Prudentiæ magnas esse dissimilitudines ibid.
Prudentiæ nomine omnes virtutes appellari 143
Prudentiam in agendo sitam esse 135
Prudẽtiã nõ esse sciẽtiã 132
Pudens 39
Pudor 98
Puer cur mathematicus effici possit, sapiẽs vel physicus non possit 136
Puer quatenus beatus ducendus 17
Pusillo demissoq; animo quis 82

Q

Quærere nõ idẽ quod deliberare 137
Quæstio ex rationibus de æquo & bono 123
Quæstio nõ omnis delib. 51

Quæstionis explicatio, finis inuentio pag. 149
Qualis quisque est, talis eius vita 92
Querela in amicitiis cuiusmodi (R) 194. 197

R

Atio recta quæ 144
Rationis expers vis duplex 24
Rationis partic. vis du. 25
Rationum discrimen 4
Ratiocinandi vis 127
Ratiocin. quib. cõficias 130
Ratioc. principia quæ 129
Reb. mutatis decr. tolli 124
Recte facere vno tantũ modo licere 35
Rex quis, & quid à tyranno differat 188 quomodo in tyrannum euadat 189
Reges cur pastores populorum dicti Homero 190
Reges non dici prodigos 74
Regia potestas instar patrij imperij 189
Regina potestas rerumpub. optima 188
Rerum cognitio duplex 5
Reipub. tria genera 188
Rerump. in se mutuo transitus, itẽ earundem in familiis exempla 188
Rerump. veterũ cuiusmodi apud Homerũ ratio 52
Rusticus ad q̃ inutilis 97
Rusticus, rusticitas. 39

S

Agacitas 138. 139
Salis modios multos simul edẽdos, vt inter se norint: prouerb. 178
Salute nil melius, ex ora. 15
Sapiẽs maximè beatus 243
Sapiẽs rerum omnium mensura & norma 53
Sapientis esse etiam rerum causas tenere 133
Sapientia quid ibid. & 134
Sapientia quatenus efficiat beatitudinem 141
Sardanapalus 6
Satis ego superq; miser sum, prouerb. 221
Sceleratissimus quis habendus 10
Sciendi vis 128
Scientia quid 130
Scientiam animi ad bonũ aliquod referri 14
Scientiam omnem demonstratione concludit 131 eiusq; subiectum ibid.
Scientia rerum vniuersarũ propria 247

Scien

Scietiis reliquis perfectione præstare sapientiam 133
Scire aliquid dupl. dici 150
Scire quomodo quis dicatur 130
Scurra, scurrilitas 39
Scurræ ac importuni qui habendi 215
Scurræ urbani cur quasi affabiles appellentur 96
Secunda nauigatione prouerb. 42
Sedit. in ciuitatib. vnd. 209
Senũ amic. cuius. 176. 181
Sensus expertes 28. 37. 60
Sensus nullius actionis initium 127
Sētētia, & sententia prædi-ti, & sentire quid 139
Serui & instrumenti collatio 191
Simulatio 38
Solis bonis honos debetur 85
Solitudinis vita molestiis, & curis plena 216
Solonis sētētia neminē ante obitum beatum dicendum esse 17
Somnus animi requies 24
In Somno bonũ ab improbo non internosci 23
Sophoclis locus 104
Σωφροσύνην tēperantiā cur appellemus 132
Sordidus 82
Spōte facere quis intell. 124
Stolidus quis 82
Studium omne ad bonum aliquod refertur 1. 4
Subtilitas quatenus in tractādis rebus acquirēda 3. 13
Sumptus omnis in suo genere magnus 81
Συγγνώμη nomen vnde 139
Συγγνώμη (T) ibidem

T

TActus voluptatis belluinæ 67
Tactũ latissimè patere ibid.
Temeritas 101
Temperans appetit quæ decet omnia, quemadmodũ & quando decet 71
Temperantes qui 29. 69. 146. 159
Temperantia 37. 66
Temporis ratio habēda 28
Timidus ibid. & 60
Timocratia 188
Tyrannus ibidem & 189
Tyrā quid à rege differt ib.
Tyran. amicitia cuiusm. 191

V

VEneris baltheum 157
Venia quid 139

Venia

Venia in quibus actionibus locus 44.46
Verax, veritas 78
Verba ad virtutē assequēdam non sufficere 243
Verecūdia verecūdus 40
Verecundiā in adolescēte laudari, in sene nō itē 98
Verecundia quid 97
Veritatis retinēda causa sua etiam decreta tollēda philosophis 7
Verum vel falsum enunciantia 94.129.133
Veteratores iure cōtēni 95
Via quæ proprie existimāda 4.5
Inviolentos duplex pœna constituta 54
Violēt. quæ 44.45.& 46
Viri cū vxore ius cuiusmodi 190 & amicitia 193
Virtus an summū bonū 6
Virtus heroica ac diuina quæ 145
Virtus hominis quæ 33
Virtus in mediocrita. 40
Virt. in nostra potestā. 53
Virtus in perturbationibus & actionibus 62
Virtus in quo habitu 143
Virt. moralis vnde dict. 25
Virtus omniū mēsura 205
Virtus quid 35
Virtutis actiones per se iucūdæ, bonæ, & honestæ 15
Virtutis certa & stabilis possessio 177
Virt. & iustitiæ diff. 103
Virtutis laus propria 22
Virtutis merces & finis, diuinum quiddam ac optimum 18.19
Virtutis proprium 72
Virtutē in voluptatibus & doloribus versari 29.30
Virtutes alias moris esse, alias rationis 127
Virtutes esse habitus 32.33 & quales ibidem
Virt. laudabiles habit. 25
Virtutes omnes cum prudentia coniunctæ 144
Virtu. quatenus seiungantur ibid.
Virtutum actiones quatenus iucundæ 66
Virtutum definitio 29
Virtutum distinctio 25
Virtutum duo genera ib.
Virtutum & artiū diuersa ratio 31
Virt. excess. cuiusmodi 58
Virt. firm. & constant. 19
Virtutū moraliū nullā 5 bis ingenerari natura. 25

Virtutũ summa nobis à natiuitate insita pag. 143
Vita in animantibus & in homine quid 217
Vita per se in bonis ibid.
Vitæ dimidio nihil inter beatos et miseros interesse 123
Vitæ domina actiones 18.19
Vitæ genera, quæ maximè excellant, tria 5
Vitæ mutatiões variæ 17 in vita societate tria incommodorũ genera cerni 117
Vitiositas absolutè quæ 158
Vitium & impotentia non eiusdem generis 161
Vitium in nostra potestate 53.55.57
Vitia quæ reprehendi soli- ta 56
Viuere quid 156
Vltio finem iræ adhibet 90
Voluntariũ non idem quod electio 48
Voluntarium quatenus diligendum 49
Voluntarium quid 116
Voluntaria, aut non voluntaria quæ 43.47
Quæ Voluntaria, consultè fiat & quæ inconsultè 117
Volũtatẽ versari in fine 52
A volũtate proficisci omnẽ agendi rationem 179
Voluptas an bonũ 166 ibidem 222
Voluptas cur summum bonum Eudoxo 21.22
Volup. & dolor cõtrar. 225
Voluptas in omni negotio vitanda 42
Voluptas magis in stabilitate quàm in motu 176
Volup. nulli arti subiecta 166
Voluptas quatenus summũ bonum 168.169
Volup. quib. summũ bonũ 5
Voluptas quid 167
Voluptatis vis 30
Ad virtutem moralẽ 222
Voluptati obsistere quàm iracundiæ difficilius 31
Voluptatum efficiẽtium diuersitas 152
Volup. omnes expetere 231
Voluptates corporis quatenus expetendæ 171
Voluptates cur beluinæ 67
Volup. specie differre 231
Voluptatũ diuisio 66.166
Vrbanus, vrbanitas 35
Vtilia quæ 176

FINIS.